OPUSCULA MEDICA,

ITERUM EDITA,

AUCTORE GEORGIO BAKER,

SERENISSIMÆ REGINÆ CHARLOTTÆ

MEDICO ORDINARIO.

LONDINI,

EX OFFICINA J. & H. HUGHS.

PROSTANT APUD P. ELMSLY.

M.DCC.LXXI.

COLLEGIO MEDICORUM

LONDINENSI,

MEDICINÆ LIBERALIS

CULTORI, PATRONO, VINDICI,

HÆC QUALIACUNQUE OPUSCULA,

IN ALIQUOD

OFFICII SUI SUMMI

ATQUE OBSERVANTIÆ

TESTIMONIUM,

LUBENS DICAT

GEORGIUS BAKER.

LECTORI

S.

DUORUM morborum memorabilium, qui in eundem annum, hic veris, ille autumni ſoboles, inciderint, in publicum prodit hiſtoria: nuda ea, ac ſimplex; nullo orationis fuco, nullis theoriæ oblectamentis commendata. De cauſis, quæ nos plerumque latent, parum ſolicitus, id unice volo, doque operam diligenter, ut oſtendam, qui & quales hi morbi re ipſa fuerint, & quali ope profligandi. Hoc enim mihi perſuaſiſſimum habeo, conjecturalia omnia ac commentitia adeo non rationali medicinæ inſervire, ut, ab ipſis artis

 incu-

incunabulis ad hæc uſque tempora, nulla ei res majori aut impedimento fuerit, aut dedecori. Iique ſemper ſcriptores de re medica optime meruiſſe viſi ſunt, qui nullis hujuſmodi diverticulis devii abrepti, ſed in morbis ipſis, ipſorumque curationibus obſervandis defixi, fidis omnia literis mandarunt; nihil, niſi naturam rerum evidentem, ſenſibuſque & rectæ rationi plane obviam, veritatemque ipſam contemplati.

Cum id mihi certum deſtinatumque animo eſſet, ſi quid in hac re poſſem, his ipſe editis periclitatus ſum; plura fortaſſis identidem, ſi hæc arriſerint, et ſi res ita ferat, daturus. Tu vero interim vale, & fave.

D E

CATARRHO EPIDEMICO

An. M.DCC.LXII.

ÆSTAS An. M.DCC.LXI præter ſolitum & ſicca fuerat & calida. Autumnum inſequentem, necnon & ineuntem hiemem pluviæ atque auſtri eo uſque occuparunt, ut neque pruinæ concreſcerent, neque deciderent ullæ nives, ad ipſum Januarii finem. Inde, ad medium menſis Martii, frequens gelu, non illud tamen acre & acutum, niſi exeunte demum Februario; quo tempore ſe invicem inſolito more exce-

exceperunt venti, pruinæ, nives, pluviæ, omnes præter modum vehementes. Ad finem Martii tempeſtas humida fuit ac procelloſa, decidente pluvia multa, cum grandine. Initio tandem Aprilis tempus in ſiccitatem converti cœpit. Cœli calor jam interdiu etiam gravior; noctes frigidæ ac pruinoſæ. Menſe medio, cum necdum folia arboribus redierant, ſubito Sol effulſit ardentiſſimus, viſque æſtus intempeſtiva atque intoleranda increvit. Perpetua fere deinde apricitas, cœlumque ſudum, quod vix ulla nubecula per dies bene multos, menſe Maio, obſcuravit. Maximam interim menſis partem Eurus, interdum et ad Aquilonem vergens, obtinuit. His vicibus aër et a

calore

calore ad frigus, et a frigore ad calorem repentinas ſubiit commutationes; & interdum uno eodemque die conſuevimus et in ſole peruri, & in umbra perfrigeſcere.

Hæc de aëris habitu, imperfecta ſatis atque incondita, ephemeridum fere ad exemplum, breviter præfari placuit, ne ab aliorum more ac conſuetudine devius prorſus abirem, quibus ſolenne eſt in rebus hujuſmodi dedita opera verſari. Rem vero ſubtilius perſequi, ſupervacaneum fore puto: Neque enim unquam mihi perſuaſum habui, quorſum pertineat morborum epidemicorum originem ad mutabiles ventos referre, aut naturam eorum indolemque ad Barometrum exi-

gere. Nimirum cum effectibus nobis præsertim res esse videtur, non autem cum causis, quæ occultæ plerumque sunt. Enimvero si morbus, de quo in præsentia agitur, iis cœli proprietatibus, quæ sensibus nostris se offerunt, ortum suum debuerit, qui, quæso, factum est, ut non Homines, loco proximi, eodem fere tempore ægrotaverint? Qui factum, ut morbus eos, quos millia non amplius II ab hac urbe disjungunt, serior longe, quam Londinenses ipsos, corripuerit? Quidnam esse causæ putemus, cur urbem Edinburgum ineunte Maio, aliquas vicinæ Cumbriæ partes recedente tandem Junio, nec prius invaserit? Profecto quicquid nobis de hac omni

quæstione

quæſtione ſcire conceditur, anguſta admodum metitur circumſcriptio ; & laboribus quibuſcunque fruſtra exantlatis, fateamur tandem neceſſe eſt cum optimo Sydenhamo— " Quæ qualiſque ſit illa aëris diſ-" poſitio, nos pariter, ac complu-" ra alia, circa quæ vecors ac ar-" rogans philoſophantium turba " nugatur, plane ignoramus." Neque ſane virum philoſophum dedecet neſcire ea fateri quæ neſciat, adhibita modo prius ad res rite perpendendas diligentia : At incognita pro cognitis habere, eaque incertiſſima quæ ſint, pro certis venditare, id vero dedecet. Sed ad inſtituta pergamus.

Quarto Aprilis die, tres in eadem

dem domo eodem morbo correpti ſunt; qui quidem morbus die quarto & viceſimo ejus menſis per univerſam urbem longe lateque graſſabatur, neminem fere eximium habens. Simul omnis ordinis, omniſque habitus homines, vix ullo diſcrimine, ægrotabant; nec magis quidem molles & delicatuli, quam quibus firma & integra valetudo. Male erat iis plerumque, qui ætate jam proceſſerant, præcipue ſenioribus ſuſpirioſis. Male etiam corporibus nimium repletis, & mulieribus, quibus ſanguis per menſtrua non reſpondebat. Leviter plectebantur infantes, & liberabantur facillime. Servos ut plurimum hic morbus graviter habebat, vel quod iſti homines ſibi tempe-

rare

rare nollent quo minus pleniore victu uterentur, cum tanquam ægros agere oporteret; vel quod quies haud facile contingere posset laboris necessitatem habentibus.

Elapso tandem duarum circiter hebdomadarum spatio, pauci admodum reperti sunt, quos hoc malum nulla ex parte tentaverat. Ejus hæ fere erant notæ: Alternis frigus & calor corpus percurrens; tussicula continua, importuna, alios statim ab initio, alios non, nisi post biduum, adorta, quæ aliquando pauculum quiddam pituitæ tenuis citabat, interdum arida erat, et nihil prorsus emoliebatur; lassitudo, gravitas & dolor ingens cir-

ca tempora & frontem; oculi inflammati, madentes, refugientes lucem; palpebræ tumidæ; frequentia ſternutamenta; vox obtuſa. De ſenſu quodam ardoris acutiſſimo per univerſum iter aſperæ arteriæ ad ipſam etiam cartilaginem enſiformem pertingente, quaſi interior cuticula abraſa eſſet, ad unum omnes conquerebantur: Nonnulli etiam de pari ardoris ſenſu a faucibus ad ipſum ventriculum, quaſi œſophagus pariter cum aſpera arteria inflammaretur. Vera aliqui & genuina angina pæne ſuffocabantur. Ad mediam ſterni partem gravitas cum difficultate ſpirandi; nec non, urgente tuſſi, aliqua tanquam laceratio inter ſcapulas, complures vexabat.

vexabat. Huc accedebant brachiorum, crurum, laterum inſtabiles quædam atque erraticæ punctiones. Interdum frequenti tuſſe ſanguis quoque extundebatur; nec raro guttæ aliquæ ſanguineæ ex naribus diſtillare viſæ ſunt. Inter hæc aliquoties febris exæſtuabat ſatis vehemens, mitior fere interdiu, noctu acceſſiones habens; interdum tantilla erat, ut vix aut ſitim faceret, aut impediret cibum, aut ſomnum interpellaret. Ægrotantibus conſtans erat perpetuumqne ſudoribus diffluere; qui quidem vehementiſſimi prorumpere ſolebant, et aliquando morbum ſolvere, ſaltem reddere mitiorem. Sitis haud valde fauces urgebat; univerſis autem:

tem * lingua muco albiſſimo obſita erat, & tanquam lactis cremore imbuta. Color habituſque ſanguinis, e vena detracti, pro diverſa ægrorum natura, varios ſe præbuerunt. Urina fere in principio biliosa proceſſit, in augmento materiam furfuraceam aut lateritiam deſidentem oſtendit. In omnibus animi demiſſio, viriumque defectus major longe quam pro morbi ratione. Tarde admodum ad ſanitatem reſtituti ſunt quam plurimi; tuſſe nimirum & febricula, reliquiis

* Idem in duobus morbis epidemicis, huic noſtro conſimilibus, obſervavit olim Jo. Huxham. Vide obſervationum de aëre & morbis epidemicis vol. i. p. 80, & vol. ii. p. 100.

mali ægre diſcutiendis, per menſes aliquot, imo etiam nonnulli per annum integrum, confecti atque languentes. Aliquos, adverſa valetudine diu colluctatos, phthiſis tandem pulmonalis abſumpſit. Multos, poſtquam jam ad cætera convaluiſſent, dolor admodum moleſtus aut in laterum alterutro, aut in aliqua abdominis parte, longo tempore fatigavit. Animadverſum eſt Londini, plurimas mulieres, hoc morbo, vel reliquiis ejus ægrotantes, abortum feciſſe, aut ante diem peperiſſe.

Alios primum & cum impetu invaſit graviſſimus artuum omnium & capitis dolor; ſenſus laſſitudinis; vehemens febris; levia autem vel catarrhi

catarrhi vel peripneumoniæ comitata ſunt ſigna. Eos, præ cæteris, tam male habebat anxietas atque anguſtia præcordiorum, ut exanthemata aliqua jamjam proruptura viderentur. Id vero, Londini, rarius evenit, quantum aut ipſe vidi, aut percontationibus reperire potui *.

Ad

* Servus quidam L annorum, firmi habitus, hoc morbo decubuit. Sanguine jam quater detracto, per univerſum corpus ſe oſtenderunt exanthemata, quod dicitur, miliaria. Nihilominus tamen immutata perſtitit pulſus durities, eadem tuſſis, eadem ſpirandi difficultas, idem dolor. Neceſſe igitur fuit, nulla exanthematum ratione habita, venam iterum atque iterum, & tandem uſque ad octavam vicem pertundere. Hoc facto, febris in intermittentem abiit, & cortici peruviano ceſſit quam

Ad hunc fere modum ſe habuit morbus; qui quidem intra quartum plerumque diem curationi ceſſit, craſſiori pituita tuſſiendo egeſta. Plus vero negotii fuit, & plus periculi, ubi, concitatiori facta febre, & tuſſicula magis importuna, morbi jam vis in juſtam peripneumoniam exarſerat; qua plurimi ſunt conflictati. Huic autem malo opportuniores fuerunt homines gulæ dediti, plenioris aut corrupti habitus; ſenes*, quibus ſpiritus

quam facillime. Iſte autem vir, annis jam fere II elapſis, ſi frigus aliquando colligat, de dolore quodam, inter coſtas, juxta dorſi ſpinam, moleſtiſſimo, qui huic morbo ortum debuit, etiamnum queritur.

* Aſthmate laborantibus ſi pleuritis vel peripneumonia ſupervenerit, fere ſemper moriuntur. Vide G. Baglivi praxeos medicæ lib. 1.

difficultas inveteraverat; quotquot denique prima morbi indicia neglectui habentes, frigori se & labori temere objecerant.

Aliquos, ipso statim ab initio, vera adorta est peripneumonia; quod tamen ruri sæpius, quam inter urbanos, obtigisse compertum est. Ibi, in locis quibusdam ab urbe remotioribus, istam fuisse mali epidemici proprietatem, per literas nobis nuntiatum est. Nec peripneumonia solum, sed angina etiam passim dominabatur; & ita dominabatur, ut neque sexui, neque ætati parceret. Ii autem gravissime ægrotabant, quibus otium, ut sibi consulerent, nullum fuit; maxime quibus quotidiani laboris

laboris penſum ſub Dio peragendum. In hos utique tam ſæva erat peſtilentia, ut quamplurimos, intra quartum diem, ineluctabili morte abſtulerit *.

Neque tamen adeo conſtanti lege ad inflammationem ſpectavit hoc malum, ut non aliquando (rarius tamen) ſe in febriculæ lentæ faciem indueret, & ad id morbi genus propius accedere videretur, quem Antiqui cardiacum appellarunt.

* Dum in oppidulis, juxta urbem Lincolniam, maxime editis, catarrhus ille epidemicus, qualem deſcripſimus, menſe Maio, mitiſſimum ſe & maxime tractabilem præſtabat, in pagis demiſſioribus, vicinis, incredibilem ediderunt ſtragem anginæ, pleuritides, peripneumoniæ. Remediorum inſtar omnium

 fuit,

runt. Aliquando etiam circuitum habere consuevit, atque hoc gyro, ut altero quoque die reverteretur. Neque id sane miretur quisquam: quandoquidem enim corpora humana tantum inter se differunt, vix fieri potest, quin ab iisdem causis alio atque alio more afficiantur. Num variolæ, num morbilli, aut alia corporis mala, quotquot contagione spargi solent, effectus eosdem semper edunt, aut perpetuis ullis conditionibus subjici se

---

fuit, sanguinem promptissime & larga copia detrahere. Id neglectum protinus insequebantur alvi fluxus, & tormina, corporibus etiam firmissimis cita ac certa pernicies. Horum me certiorem fecit medicus in primis ingeniosus, quo familiari utor, Robertus Petrie Lincolniensis.

patiuntur?

patiuntur? Annon febres, nunc inflammatoria, nunc putrida, nunc *nervoſa*, (vitia inter ſe immane quantum diſcrepantia) derivantur ſæpiſſime ab eodem fonte peſtilentiæ?

Quod ad curationem morbi, quem delineavimus, pertinet, quicquid de hac re aut uſus mihi comprobaverit, aut didicerim ab aliis, ordine jam exponam. Et ſæpe quidem haud magna mole pugnatum eſt. Morbo enim invadente, plurimis hominibus ſaluti fuit domi ſe continuiſſe; omnimodo frigora & laſſitudinem evitaſſe; negotioſam omnem actionem circumcidiſſe; & ſimul curioſo victu caviſſe, ne inutilis materia corpori

ſupereſſet. Si quos autem vel febris vehementior, vel dolor aliquis laterum, vel ſpirandi difficultas infeſtaret, iis protinus, & mora nulla, ſanguis mitti debuit, habita ſemper virium ratione. Si ex vena ſanguinem mitti vires non paterentur, ſaltem confugiendum fuit ad levius illud præſidium, cucurbitulas, ſic ut cutis quoque incideretur. Aliqua enim ſanguinis detractio, in principio, perraro inutilis fuit. Aliquando etiam uſu venit, ut ſanguinem copioſe profundere oporteret, quo vitæ periclitanti conſuleretur. Sæpe enim internæ ſuppurationes ægrum, nec opinantem, oppreſſerunt; & inde præceps periculum. Hoc plane mihi compertum habeo, anxie-

tatem

tatem iſtam atque languorem, ſigna morbi, quod dicimus, pathognomonica, improvidos quoſdam in malam fraudem induxiſſe; parcos utique in exinaniendo corpore, in calefaciendo nimios.

Detracto ſanguine, alvum lotionibus ducere proximum fuit; quod remedii genus plurimum levamenti attulit per omnem morbi decurſum. Dejectiones enim id agere viſæ ſunt, ut bilis illa omnis, quam majori jam copia frequens tuſſis, nixuſque ad vomendum exprimebant, ex inteſtinis continuo eliceretur; unde calor & inquietudo, febris comites, minuebantur. Quicquid autem cauſæ fuerit, in dubio non eſt,

quin remedia, ventrem laxantia, plus in morbo iſto profecerint, quam alia cujuſcunque generis auxilia, ſi modo ſolam ſanguinis detractionem excipias. Quin & Natura hanc nobis curandi viam monſtravit; quæ quidem aliquando vomitus bilioſi ope, aliquando bilioſæ dejectionis, ægros ipſa liberavit.

MEDICAMENTA dare, ſudori movendo apta, haud unquam ſalutare fuit, interdum etiam pluſquam inutile: calorem enim conſuerunt illa intendere, per ſe plus æquo vehementem. Satius omnino ægrotanti, ut in lecto conquieſceret, ac dilutiſſima ſe aliqua & tepida potione proflueret.

NEC

Nec alienum fuit paulatim delingere oleum, & alia iſtiuſmodi aſſumere, quæ lævare id quod exaſperatum eſt, quæ emollire tuſſiculam, quæ ſputa evocare ſolent. In his tamen haud multum auxilii fuit; uti quidem neque in nitro, aut in vulgatiſſimo illo remedio, ſale abſinthii cum ſucco limoniorum. Nihilominus tamen vel imbecilla remedia præſtat aliquando potius experiri, quam nulla. Tuſſis etiam, noctu fere quam interdiu moleſtior, opii pauxillulo ſub noctem cöerceri debuït. Verum ſive exſpuendi, ſpirandive difficultas, ſeu dolor pectoris, aut capitis infeſtaret, emplaſtra veſicatoria expeditiſſimum auxilium præſtiterunt. Eadem, in dolore laterum,

laterum, lateribus ipſis, pro more, impoſita, mirum quantum levarunt & dolorem & tuſſiculam. Impetus autem materiæ pulmonem vexantis, maturius evocabatur, ſi ante adhibitæ fuiſſent cucurbitulæ.

Alia longe atque diſſimili curatione opus fuit, ubi morbus jam in lentam febriculam degeneraverat, continuam eam fere cum acceſſionibus. Jam nimiæ debilitati jacentis, & languenti ſtomacho ſuccurrendum fuit. Adjicienda vis arteriis; toti corpori fultura. His in caſibus cortex peruvianus, ſubinde & liberaliter datus, raro ſpem noſtram fefellit. Protinus utique arteriarum exigui imbecil-

lique

lique pulſus, tuſſicula, præcordiorum anxietas, ſuſpiria, tremores, vertigines, animique deliquia nobili antidoto conceſſerunt. Oportebat autem iiſdem ipſis auxiliis tueri valetudinem, quibus eſt reddita.

Idem hic morbus, eodem vere, univerſam fere Europam peragravit *; civitati Venetum præ aliis locis

* Occipiebat morbus Vratiſlaviæ exeunte Februario, ibique per II circiter menſes eo uſque ſæviit, ut funera a XXX vel XL, aſſueto ſcilicet numero, ad CL, ſingulis hebdomadis, adauxerit. Id teſtatur celebris Vratiſlaviæ Medicus, Jackwitz. Vindebonam ſub finem Martii invaſit; (proüt rem narrat Carolus Mertens legato Ruſſico, iſta in

locis peſtiferus. In hac regione ſerius, in illa maturius ſe oſtendit; nuſquam vero gentium, quantum ſcio, vel ante Februarium, vel poſt Julium. Dum vero quaqua-

---

in urbe agenti, medicus domeſticus) atque ibi eandem fere proprietatem habuit quam apud nos Londinenſes. Cothenius autem, Regis Boruſſiæ Archiater, eundem refert, in Ducatu Magdeburgico, menſe primum Aprili ſe exhibuiſſe; neque in iſta regione, multis exitio fuiſſe. Hæc viro experientiſſimo, Joanni Pringle, accepta refero; qui omnia, de hoc argumento, aut a ſe animadverſa, aut exterorum literis allata, me lubenter docuit. Hamburgenſes etiam initio Aprilis ægrotarunt; id quod duorum virorum excellentium (C. Roſe, & J. A. H. Reimari) mihi confirmarunt epiſtolæ. At in mari Mediterraneo, apud nautas Britannos, non niſi menſe demum Julio peſtem hanc invaluiſſe accepimus.

verſum ſæviret, Lutetiam Pariſiorum, & regionem, urbi iſti ſubjacentem, ne quidem attigit. Id quod a viris fide dignis didicimus *.

OPERÆ fore pretium judicavi anquirere,

---

* In chartula, quam Galli *la Gazette de France* vocant, deſcribitur hiſtoria morbi ſatis accurata, qui, menſe Junio, non quidem aliquam Galliarum partem, ſed Argentoratum, reliquamque omnem Alſatiam vexaſſe dicitur. "*Pendant le mois dernier, il a régné, tant á Straſbourg que dans le reſte de l'Alſace, une maladie, qui a été preſque générale. Elle a eu, pour ſymptômes, des friſſons par tout le corps, un grand abattement, un violent mal de gorge, une douleur de tête très-aigue, une toux ſeche & fréquente, & une reſpiration difficile. Toutes les perſonnes, qui en ont été attaquès, ont eu la fievre plus ou moins forte, & les*

anquirere, an catarrhus hic epidemicus certo aliquo progrediundi ordine ab alia ad aliam insulæ nostræ partem transierit; an scilicet ab oriente sole ad occidentem, a septentrionalibus locis meridiem

---

les accidens ont varié suivant les dispositions intérieures; mais tous les malades ont ressenti des douleurs dans tous les membres. La plûpart ont été guéris par des sueurs abondantes. On a été obligé de faire des saignées du bras ou du pied à quelques-uns. La maladie a fini quelquefois par une expectoration copieuse, & a été terminée en général par un ou deux purgatifs. Chez quelques sujets, elle a dégénéré en pleurésie ou en peripneumonie, mais ç'a été leur faute, & parce qu'ils n'ont pas voulu s'alliter assez-tôt. Quelques Soldats de la Garnison, qui ont craint d'aller à l'Hôpital, ont été aussi les victimes de leur repugnance". Gazette de France du 5 Juillet, M.DCC.LXII.

versus,

verſus, an vero motu contrario iter fecerit. Percontando autem didici nullam eum uſpiam legem ſervaſſe, curſumque ſuum incertum more quodam deſultorio peregiſſe ; urbes vero & majora oppida, incolarum multitudine conferta, ubique citius infeſtaſſe, quam circumjacentes pagos. An contagioſus fuerit necne, nihil equidem certi affirmo. Hoc ſaltem conſtat, morbum omnino in Britannia incognitum fuiſſe, priuſquam Londinenſes invaſerat ; multiſque in oppidis, qui primi ægrotaverint, eos nuper a Londino advenas acceſſiſſe *.

---

* Id nempe animadverſum eſt Norvici, Lincolniæ, Leiceſtriæ, atque Exceſtriæ.

In hac urbe, ſi tabulis publicis fides ſit habenda, funera ſolitum numerum haud multum ſuperarunt, hoc morbo regnante. Tempore quo idem * Manceſtriæ obtinebat, ibi (dictu mirum) ſolito etiam pauciores mortui ſunt. Contra autem Norvici, teſtante medico egregio Gulielmo Offley, qui morbum, iſta in urbe ter ſævientem, curaverit, plures longe illi ſuccubuerunt, quam quos ſimilis omnino peſtis an. M.DCC.XXXIII‡, aut gravior illa, *influenza* dicta,

---

* Id didici ex literis periti admodum Chirurgi, C. White.

‡ Jo. Huxham obſervat. de aëre & morb. epid. vol. i. p. 80.

Medical Eſſays publiſhed at Edinburgh, vol. ii. p. 28.

an. M.DCC.XLIII *, e medio ſuſtulerit.

In hac omni narratione, nihil reconditum aut exquiſitum de induſtria ſectatus ſum. Satis habui, ut res ipſa, prout ſe habuerit, dilucide, & cum fide deſcriberetur; & (quod præfiſcine dicam) ut juſta aliqua tum morbi, tum curationis, etſi vulgatæ ſatis & quotidianæ, memoria exſtaret.

* Jo. Huxham obſervat. &c. vol. ii. p. 100.

DE

DYSENTERIA LONDINENSI

An. M.DCC.LXII.

SUB exitum menſis Julii, An. M.DCC.LXII, Dyſenteria epidemica incolas Londinenſes invaſit; morbi genus, hac in civitate novum fere, aut nuperis ſaltem annis inauditum. Præceſſerat æſtuoſa admodum & ſicca tempeſtas; pluviæ autem nonnullæ paucis jam diebus deciderant. Ea peſtis, toto autumni tempore ad Novembrem uſque graſſata, ingentem hominum numerum exercuit; magis quidem pauperum ædiculas infeſtans,

infeſtans, quam civium potentiorum domos; infantibus, puerilique ætati, quam adultæ gravior; mollioribus corporibus, iiſque quibus frequens adverſa valetudo, quam duris atque robuſtis plerumque inimicior.

De hoc morbo pauca quædam ſcripturus, ægros primum ipſos lectori ob oculos ſiſtam, variis ejus affectibus, variis dolorum miſeriis laborantes; deinde ad ea tranſibo explicanda, quæ experimentum in ipſis curationibus docuerit atque approbarit.

Accessum mali ſignificabat ſæpius (neque enim id perpetuum erat) ſenſus quidam frigoris extre-

mas partes membrorum permeantis. Hunc protinus insequebantur capitis vertigo, oculorum caligines, stomachi nausea, amari ructus cum gravitate præcordiorum, vomitusque virescentis, aut flavescentis, aut etiam rufæ materiæ: mox vehemens intestinorum inflatio, vehemens dolor modo supra umbilicum, modo sub umbilico; denique, haud longo intervallo, alvi profusio repentina, biliosa, pejoris odoris quam ex consuetudine. Inde vero parum allevamenti; sed omnia in deterius ruere. Intendebantur tormina fixa jam & habitantia in imo ventre, paulum super ossa pubis, & in ea dorsi parte, quæ flexionibus intestini coli exadvorsum sita est. Atque

hinc

hinc ortus eſt conſtans quidam ad deſidendum nixus, eo magis excrucians, quia inexpugnabilis præ impotentia deſidendi. Deſcendebant enim non ex cibo recte cocta, ſed nunc pituitæ muciſque ſimilia; nunc, inſtar aquæ, in qua caro recens lota fuerit, leviter ſubcruenta, inodora; nunc quaſi filamenta ſanguinis muco intertexta; quin & purus interdum cruor; interdum, morbo ingraveſcente, putris ſanies. Dolores paulo ante excretionem acerrimi erant; requies a dolore aut nulla, aut exigua ea & fallax, novis cruciatibus illico interpellanda. Vigilia nocte fere & die continuata. Inflatio abdominis univerſis conſtans, & vix cum morbo ipſo profliganda. De viſ-

 cerum

cerum depreſſione omnes uno ore conquerebantur ; plurimi etiam, quaſi ſentirent aliquod tanquam corporis ſolidioris, quod, cum pondere & mole ſua urgeret, ad dejectionem provocaret *. Quibuſdam nauſea & vomitio moleſtæ erant ; ſed non item omnibus : vix autem unus quiſquam repertus eſt, qui febre, faſtidio, & inſomnia vacaret. Nonnullos inſuper vexabat ipſius ani prolapſus, & difficultas urinæ, moleſtiſſimum malum. † Quibuſdam urina vix

* Vide Cæl. Aurel. de morb. chron. lib. iv. cap. vi.

† Urina plerumque erat plane ſuppreſſa, ut intra ſex, octo, decem, vel quatuordecim dies vix guttam emitterent. Vide Jo. Hartm. Degneri Hiſt. Med. de Dyſenteria, &c. quæ Neomagi graſſata fuit A. 1736, pag. 17.

fluxit

fluxit per biduum. Nec lumbricos aliquos teretes, inclinato morbo, excludere, aut inſolens erat, aut mali augurii. Cuidam, poſtquam morbus videretur abiturus, abceſſus alicubi in inteſtinis factus eſt; unde profluxit pus, adjuncta debilitate, nauſea, febricula. Hic tamen reſtitutus eſt. In puero, XIV annorum, in ipſam, quod mireris, maniam exiit hæc Dyſenteria, teſte ſummo ac ſingulari viro, Gulielmo Heberden *.

MORBUS

---

* Corpora illa adipoſa, (στέατι συγκοπέντι ἴκελα) membranea, ac carnoſa, quæ, in hoc morbo, ſimul cum ſanguine, ſolent deſcendere, non ſemper exulcerari inteſtina, ſecundum veterum de hac re ſententiam, ſignificant; neque enim ea ſemper ſunt, quæ videntur.

Morbus autem minime unifor-mi tenore procedebat, ſed in di-verſis

---

dentur. Originem horum corporum, pro ſuo more, feliciter exponit vir arte anatomica excellens, Jo. Bapt. Morgagnus; cui ſane multum debemus tum ob alia plurima, tum ob egregium illud opus, quo rem medicam nuperrime locupletavit. "Scilicet ut irritatæ veſicæ glandulæ, ſic glandulæ quoque inteſtinorum plus ſecernunt humoris ſui, eumque non qualem ſolent, cum recte valent. Itaque mucoſa & albida utrobique apparet materia. Quod ſi inſuper ea in ſanguine diſpoſitio ſit, ut facile in polypos coaleſcat, erit ille humor magis ad concreſcendum pronus, eoque magis, ubi ejuſmodi ſanguis in cavum inteſtinorum aut exudans, aut effuſus ad illum ſe addiderit. Sic enim dum ſanguinis pars in coli inteſtini cellulis reſtitabit, ſecedente aquea, & ſubſidente rubra portione, eæ, quæ relinquentur, ſanguinis, ut vocant, fibræ, facile poterunt in concretiones polypoſas compingi, quæ ſua albedine,

ut

verſis corporibus aliam atque aliam ſpeciem induebat; primis aliquando diebus nullo negotio diſcutiendus, in longum aliquando tractus. Primo neglectus, tractatu aſperior occurrebat: etenim corpus, extenuatum atque confectum, ut

---

ut toties olim in corde & vaſis fucum fecerunt, & pro pinguedine acceptæ ſunt, ita, mox cum recrementis detruſæ, hic quoque pro pinguedine haberi poterunt.—Hinc & origo intelligitur ramentorum, & grandium, quæ egeri dictæ ſunt, membranarum, facillime autem quorundam ex illis aliis corporibus, quæ carnoſa a Celſo ſunt appellata; ſi videlicet non tota rubra ſanguinis portio ſit ex ejus albis cohærentibus fibris expreſſa. Unde etiam intelligas licet, quam caute uti oporteat illa Hippocratis prædictione: *Dyſenteria laboranti ſi veluti carunculæ exeunt, lethale.*" Vide Jo. Bapt. Morgagni de ſed. & cauſ. morborum, epiſt. xxxi.

morbo

morbo ferendo impar erat, ita ipsi impar curationi. Itaque optimum erat occurrere ipsis principiis, atque auxilia mature præripere. In hoc enim corporis affectu aliquod certe in medicina opis est, haud multum in naturæ beneficio.

Raro ex hoc emerserunt malo, qui magnam aliquam sinceri sanguinis copiam ex intestinis profuderant, & postea frigidas extremas partes haberent. Neque fallax periculi nota, abdomen tumidum, intentum, tractanti resistens. Spem fuisse in angusto, ostendebant sitis immodica; lingua arida, ac scabra, colore cinereo aut livido; aphthæ; singultus. Conclamatum autem omnino erat, si deglutire nihil possent,

poſſent, aut aquam fœtidam ex ano redderent *.

Non deerant, qui, hoc morbo confecti, inciderent in lævitatem inteſtinorum, vix ulla medicina corrigendam. Plurimos, in iis ſenes in primis, diu moleſte habuit fluxus alvi purulentus, exulceratis inteſtinis, ut videtur, ortus. Atque hi fere in ultimam corporis infirmitatem redacti, lenta morte minutatim abſumebantur. Γῆρας δὲ δυσαλθὲς, καὶ ἐς ὠτειλὴν χρόνιον †."

* Si ſingultus accedat, lethale; ſi angina, lethale; ſi vero accedat difficultas deglutiendi, mortem imminentem prænuntia adſtantibus. G. Baglivi praxeos medicæ lib. 1.

† Aretæi Cappadocis cap. περὶ δυσεντερίης.

Neque

Neque animadverſione indignum videtur, morbo per populum graſſante, plurimos paſſim interea variis ſtomachi ventriſque vitiis laboraſſe, qui tamen Dyſenterici haud plane evaſerunt ; ſed, poſt dejectiones aliquot bilioſas, ſponte ſua, abſque omni remediorum ope, plerumque convaleſcebant.

Quicunque fructus aut æſtivos, aut autumnales immodice aſſumpſerant, vel nulla tentabantur Dyſenteria, vel, ſi tentarentur, leviſſime ægrotabant. Quod quidem nullo modo prætermittendum videtur, cum plurimi ſcriptores in animum induxerint, morbum, de quo agitur, ipſis hiſce fructibus ortum ſæpe debuiſſe. Inde vero nihil

nihil noxæ fuiſſe, teſtatur haud dubia experientiæ fides. Immo & ab aliis accepimus, eos etiam præſenti & ſævienti morbo aliquando in remedium ceſſiſſe. Neque hercule iſta curatio nova eſt, aut antiquioribus medicis incognita: cum Alexander Trallianus memoriæ tradiderit quoſdam, ſuo tempore, damaſcenis, uviſque avide devoratis, celeriter fuiſſe ad ſanitatem perductos. "*Οἶδα γάρ τινας δαμάσκηνα τραφέντας πλείονα, καὶ τελείως ἀποθεραπευθέντας, ἀβιάςως αὐτοῖς τῆς κόπρȢ διαχωρηθείσης· Καὶ ἄλλȢς δὲ ςαφυλαῖς παμπόλλαις χρησαμένȢς* *."

Pronum jam hinc ad remedia

* Vide Alexandri Tralliani lib. viii. pag. 458, edit. Baſil.

tranſitum

tranſitum facturus quæ proponam, ejuſmodi habenda ſunt, non ut ea ſemper & in omni Dyſenterico, ſed plerumque & longe majori, quod aiunt, ex parte reſpondiſſe teſtis ſim. Utcunque enim ſummi auctores alia atque alia, ad hunc morbum profligandum, tanquam ſola ac ſpecifica venditarint, id demum de quavis medendi methodo vere fatendum eſt, quod Celſus de arte ipſa conjecturali dixerit; " rationem ejus talem eſſe, ut, cum ſæpius aliquando reſponderit, interdum tamen fallat."

Sanguinis detractionem ſupervacuam fore, medicis inſedit diu inveteravitque male fundata, male ominata

ominata opinio. Id vero auxilium, inter initia, maxime ſigna aliqua inflammationis ſi adeſſent, nunquam alienum deprehendi. Iterari vero oporteret necne, non, niſi ex corporis habitu, & ex ratione vel adauctæ vel levatæ febris, colligendum. Firmis adhuc viribus, atque conſtanti ætate, intolerabilis aliquis dolor, aut effervefcens febrilis æſtus id præſidii genus nullo non morbi tempore flagitabat. Neque enim prudentis eſt ac circumſpecti medici, timere ne imbecillum reddat ægrotantem, cum capitis res agatur.

VOMITU autem fere ſemper utendum erat; in his morbis perquam neceſſario, quos bilis concitaverit,

citaverit, Celſo auctore. Inter ea vero medicamenta, quæ vomitus cauſa adhibentur, tartarum emeticum, aqua dilutum plurima, præſtantiſſimum longe viſum eſt. Mirum eſt ſane, quantum inde materiæ flavæ ac viridis ſurſum egeri ſoleret, & quanto cum levamine ægrotantium. Nec nihil adjuvabat benignus ille, & per omnia æquabiliter membra diffuſus, ſudor, qui vomitum, hoc remedio evocatum, inſequebatur. Radix quidem illa Braſilienſis, ipecacoanha dicta, raro ſtimuli ſatis ventriculo admovere potuit. Opus viſum eſt acriore aliquo medicamento; quod pleniorem vomitum ſolicitaret, & quod colluvionem, intus reſidentem, concuteret valentius

lentius atque exturbaret. Haud equidem ignoro radicem eam "ſpecificum & ferme infallibile remedium in fluxibus dyſentericis * audire:" Nec me latet, nonnullos virtutem quandam in ea alexipharmacam agnoviſſe, qua ſcilicet veneno omni, & omni *malignitati* reſiſtat. Nondum autem experientia edoctus ſum, alia unquam ratione prodeſſe meram ipecacoanham, quam quia vomitum moveat. Etenim ſi, ut † Gulielmo Piſoni viſum eſt, "vim quoque aſtrictivam poſt ſe relinquat," omni-

* G. Baglivi praxeos medicæ lib. i. de diarrhœa & dyſenteria.

† Gulielmi Piſonis de Indiæ utriuſque re naturali & medica lib. ii. cap ix.

no, ob eam ipſam vim aſtrictivam, male convenit dyſenteriæ. Si vero (quæ eſt doctiſſimi † Freindi conjectura) "in hoc præcipue conſiſtit egregia illa in dyſentericis affectibus virtus, quod uberrimum ſudorem excitare ſoleat;" hic etiam tartaro iſti emetico cedat neceſſe eſt, quod ſane hanc virtutem excitandi ſudores, præ aliis vomendi in-

---

† Vide de febribus commentarios Joannis Freind, pag. 40.

Mihi ſane videtur in ipecacoanhæ laudes nimis ſe effudiſſe Degnerus. " Præter effectum ſuum emeticum, ſimul adeo peculiare & ſpecificum quid operatur, ut alia vomitoria eam non facile æquent, nec aliud, quod ejus in locum eodem cum effectu ſuccedat, excogitari poſſit." Degneri lib. citat. pag. 97.

ſtrumentis,

ſtrumentis, & ſine rivali, poſſidet. Atque harum etiam laudum cumulus accedit, quod, re in ventriculo peracta, ad inteſtina plerumque deſcendat vis tartari emetici, & alvum inſuper, cathartici ad inſtar valentiſſimi, reſolvat. Profecto non eſt dubitandum, quin vitrum antimonii ceratum, in pharmacopœia Edinburgenſi deſcriptum, inde ſolummodo antidyſenterici nomen conſecutum ſit, quod vehementer & vomitu ventriculum, & alvum purgatione ſolicitare ſoleat.

Etenim in hac re nihil agitur, donec inteſtina ad naturalem habitum revertantur. Neceſſe igitur prorſus erat dejectionem quoquo modo moliri. Ea autem primo ex-

periri conveniebat, quibus proprium eſt ventrem invitare potius, quam cogere; & ſimul irritamentum illud, quo aſſidue vexantur inteſtina, diluere, temperare, demulcere: inter quæ infuſum ſenæ, manna, tamarindus, & ſi qua ſunt his ſimilia, facile primas ferunt. Si vero in his parum ſit auxilii; & neque alvi fæces naturales, nec dura illa corpuſcula, *ſcybala* dicta, deſcendant, ad validiora medicamenta, &, ante omnia, ad ſalem catharticum amarum (quo nihil fere quidpiam aut certius aut citius alvo moranti calcar addit) protinus tranſeundum. Rhabarbarum quidem, ut *choleræ & acrioribus quibuſcunque humoribus evacuandis dicatum*, magnopere laudarunt medici quidam

dam recentiores, jure ſuo multi nominis. Sed (pace tantorum virorum) id remedii, inter morbi initia, ex toto condemnandum eſſe videtur. Præter enim id, quod vel effectus ejus leviſſimus, aut plane nullus ſit; vel quod non, niſi tardiuſcule, & impotenter, & fere cum augmento torminum atque inflationis officio ſuo fungatur; vis ea alvum contrahendi, qua pollet, tantum abeſt, ut laboranti opituletur, ut vix quidpiam magis poſſit eſſe inimicum. Et quidem nequeo quin ſuſpicer, eos, qui auctores ſunt, ut mercurius dulcis ſublimatus rhabarbaro admiſtus detur, remedium dyſenteriæ tanto minus accommodatum conficere, quanto plus rhabarbari admiſceatur. Lon-

ge vero minus illos confectari vellem, qui rhabarbaro nucem moschatam, cinnamomum, & alia aromata, hoc eſt oleum camino, adjiciunt; ea nimirum mente, ſi Diis placet, ut roborentur inteſtina, & ut *flatus* diſcutiantur. Inteſtinis enim inflammatione æſtuantibus, eorum robori intempeſtive conſulitur. Fruſtra autem in *flatibus* diſcutiendis operam conterimus; ipſa inflationis cauſa integra adhuc, aut etiam increſcente.

Profuit etiam habuiſſe ea in memoria, quæ * Celſus præceperit; oportere nimirum " ex inferioribus

* A. Corn. Celſi de Medicina. lib. iv. cap. xv.

oribus partibus tepidum infundere vel ptiſanæ cremorem, vel lac, vel adipem liquatam, vel medullam cervinam, vel oleum, vel aquam, in qua lini ſemen decoctum ſit." Hæc, aut his ſimilia, ano infuſa, eum ad modum, qui facile ſuſtineri poſſet, malum nonnullis tolerabilius reddebant. Neque vero eſt diſſimulandum, non perpetuo, aut in omni ægrotante commode reſpondiſſe hoc remedium. Plurimi enim perpeti non poterant vel leniſſima quæque, hiſce partibus adhibita; quæ quidem ipſa hoc tormenti genus magis magiſque exaſperabant. Quod & a Baglivo animadverſum video. " Clyſteres, inquit, copioſe præſcripti, quandoque exacerbant morbum, & exul-

ceratis inteſtinorum fibris majorem orgaſmum excitant. Dentur igitur rarius & in parva copia."

VISUM eſt interea, dum hæc agebantur, per intervalla temporum, ea adhibere remedia, quæ & muci naturalis vice, aliquo ſaltem modo, fungi poſſe viderentur, & parti maxime laboranti ſuccurrere: de quo genere, emulſio amygdalarum, ovi album, amylum, & mucilago illa radicis Salab, etiam antidyſenterica a Degnero dicta, principem locum obtinent. Nulla autem res, declinante morbo, magis adjuvabat, quam medicamenti culinaris confectio, ex lacte bubulo cum recenti adipe decocto, aliqua etiam amyli portione adjecta.

Id

Id quidem neque guſtui inſuave, & fere ſine aliqua ſtomachi noxa liberaliter aſſumi poterat. Apud incolas Hiberniæ aborigines, mos eſt, a majoribus receptus, Dyſentericis butyrum liquefactum, remedium longo uſu commendatum, dare. Sunt & inter noſtrates, qui ejuſdem cochleare unum aut alterum, ſubinde aſſumptum, ſibi, in hoc morbo, feliciter ceſſiſſe teſtentur *.

Dixerit autem quiſquam: " Cum ſuccum papaveris, præſentiſſimum

* Fama proditum fuiſſe, Ludovicum dyſenteriam epidemicam, in exercitu graſſantem, cera alba in lacte calido liquefacta, totam extirpaſſe, memorat Degnerus. Tale quoddam

tiſſimum illud doloris lenimen, mortalibus ægris indulſerit providens natura, prohibetne eum immitis atque immiſericors medicina? Nunquis auſit iſtud remedii repudiare, quod ſibi remediorum omnium primum putabat olim * Sydenhamus?" Equidem conſtanter affirmo, ſatius eſſe illud omnino non contingere,

---

quoddam medicamentum (addito ſaponis pauxillo, quo cera ſolubilior fieret) medicis caſtrenſibus, durante bello iſto, quod nuper deſæviit, ex uſu fuiſſe, accepimus.

* Fatetur idem fieri poſſe, ut variæ enaſcantur Dyſenteriarum ſpecies, ut ſunt variolarum, & epidemicorum aliorum, diverſis conſtitutionibus propriæ, & quæ proinde medendi methodum in aliquibus diverſam ſibi ſuo jure vendicent. Sydenhami opera univerſa, pag. 181, edit. Lug. Bat.

quam

quam primis diebus temere ingerere. Officium quidem eſt medici, ut celeriter & jucunde; ſed, ſuper omnia, ut tuto curet. Feſtinantem laudo; ita vero, ut non ſit periculoſa feſtinatio. Nollem equidem cubanti tortoris vicem exhibere; neque vero indolentiæ ejus eo uſque conſulere, ut non ſalus ipſa prima ſemper habeatur. Nollem ſuavia, in præſentia quæ ſint, ſectari; neque proſpicere in longitudinem. Quorſum ſcilicet pertinet, paciſci cum hoſte inducias (ſi tamen induciæ impetrari poſſint) breves illas, & infidas, & ipſa prælii contentione magis periculoſas? Quorſum cinerem igni inducere, erupturo? Annon ex opio, iiſque quæ alvum adſtringunt, intempeſ-

tive

tive adhibitis, tympanitidem ortam vidimus? Neque unico exemplo comprobatum fuit, dyſenteriam hanc, tam imperite tractatam, in epilepſiam, rheumatiſmum, pleuritidem abiiſſe. Morbus, certo certius, & in longum trahebatur, & expugnatu difficilior erat, quoties medicus remedia aliqua, ex papavere parata, prius propinabat, quam "cibi digeſtio in ſtercoris veniret qualitatem*." Ante id temporis, vel prorſus vitanda erant, vel parciſſime ſaltem adhibenda; nec, niſi cum periculum eſſe videretur, ne æger, dolore ac vigiliis enectus, ſuccumberet, ſi intervalla aliqua

* Cæl. Aurel. de morb. chron. lib. iv. cap. vi.

quietis conciliari non possent. Quemadmodum præcepit olim Alexander Trallianus, τούτοις οὖν πάνυ κεχρῆσθαι οὐ συμβουλεύω, δίχα πολλῆς ἀνάγκης*. Quam primum vero alvi excretiones naturali se more quodammodo haberent, jam tandem laudanum illud Sydenhami non modo tutum

---

* Οἱ πλεῖστοι τῶν ἀπείρων Ἰατρῶν, αὐτίκα κατ' ἀρχὰς τοῦ πάθους, τροχίσκους, ἢ ἀντίδοτα διὰ ὀπίου, ἢ ὑοσκυάμου, ἢ μηκωνείου μέλανος, ἢ μανδραγόρας δίδοναι τολμῶσι, τῷ ὕπνῳ ἐπωδυνίαν πραΰνεσθαι φάσκοντες· σφάλλονται δὲ, ὁρῶντες τοὺς νοσοῦντας, προσληφθείσης πόσεως, ὅλην νύκτα ὑπνεῖν, καὶ τὴν γαστέρα ἀναστέλλεσθαι· τῆς δὲ ἡμέρας ἀνατελλομένης, σπουδὴ μάταιος καταλαμβάνεται· τοιαῦτα γὰρ φάρμακα, τοὺς χυμοὺς εἰς ἓν ἀθροίζοντα, ἀδιαλείπτως ἐκκρίνει, καὶ τὴν κεφαλὴν βαρύνοντα, καὶ τὰς δυνάμεις βλάπτοντα, τὴν κοιλίαν πλέον ῥευματίζειν ποιεῖ, καὶ ἀνορεξίαν μείζονα ἐπιφέρει. Alex. Trall. lib. viii. p. 444. edit. Basil.

fuisse

fuiſſe confiteor, ſed etiam aliquando, ad conſummandam curationem, magnopere neceſſarium contendo.

Ac nec illud quidem alienum, cataplaſmata calida, quæ molliunt, ſuper ventrem imponere, & fomenta adhibere tum humida, tum ſicca. Cum itaque balneum tepidum in calculo renum, & in colica (cui ſane propinqua quædam cognatio eſt dyſenteriæ) tam præſens eſſe remedium deprehendatur, ſi quid & in hoc affectu valere poſſet, ſemel periculum fecimus. Experimentum autem feliciter atque ex voto ceſſit. Ægrotanti, quem, per univerſam hebdomadam, male habuerat dyſenteria, in aquam demiſſo,

miſſo, dolor illico omnis conquievit: alvus large reſoluta eſt: facilis inde ad bonam valetudinem recurſus.

Quod ad rationem victus pertinet (cujus quidem rei paulo ſubtilior obſervatio multum admodum tum in aliis corporis morbis, tum in hoc adprime utilis eſt) is tenuis eſſe debebat, & leviſſimæ materiæ; præcipue ex iis, quæ emolliunt, quæque intus haud facile corrumpuntur. Oportebat igitur carnem omnino omnem cibo ſubtrahere; &, primis diebus, ne jus aliquod vel e pullis indulgere. Sorbitionibus utendum erat ptiſanæ, vel alicæ, vel oryzæ, omnibuſque quotquot

ex

ex * lacte comparari ſolent; eo quod lac mitiſſimum alimenti genus præſtet, quodque ventrem emolliat ſimul ac liquet. Nec minimum laudis merebatur † ſerum illud lactis vulgare (cui ſane multum antiqui medici tribuerunt) neutiquam certe contemnendum, quod parabile ſit, & vilis pretii; cum,

* Diocles in libris, quos de paſſionibus, atque cauſis, & curationibus ſcripſit, lac ordinat cum melle bibendum, ventrem provocans in fluorem. Item utitur ptiſana cum adipe ſorbenda. Praxagoras ſtatuit ventrem deducendum peplio & lacte plurimo, cum mulſo—& aqua ſalſa, & ſucco betæ, & oleo cum mulſo. Offert farinam cum lacte coctam, quæ indigeſtibilis probatur: Sic etiam tritici ptiſanam cum cantabro. Cæl. Aurel. loc. citat.

† Solo ſero lactis Dyſenterias ſæpiſſime profligavi.

cum, misturis medicamentorum quibuscunque palmam aliquando præripiat. Etenim corruptæ miscuisse novam & sinceram materiam proderat. Proderat (ut loquar cum Sydenhamo) hoc lenissimo liquore, morbum tanquam diluvio submergere.

Persæpe accidebat, ut, morbo

---

fligavi. Multi auctores pro magno secreto habent hoc remedium in dysenteriis. G. Baglivi praxeos med. lib. i.

Cum, an. 1726, hic & in vicinis urbibus, maxime Altenburgi, sæviret dysenteria, qua multi perierunt; ipsi rustici, spretis omnibus pharmaceuticis, quæ maxima ex parte erant calidiora, sero lactis, item lacte ebutyrato per totum morbi decursum utebantur, & præ aliis felicissime evaserunt. F. Hoffmanni med. rat. syst. tom. iv. sect. ii. cap. vii.

jam fatiſcente, inteſtinum rectum crudeli admodum teneſmo cruciaretur. Id autem mali ſua ſponte, velut fluctus poſt tempeſtatem, ſubſidebat. "Tolerandum itaque erat ægroto, donec revocari poſſent vires; quibus redeuntibus, pari paſſu proripiebat ſe hoc teneſmi ſymptoma *."

Si in ullo corporis affectu alicujus pretii habeatur illud Celſi præceptum, "in conclavi quam maximo æger cubare debet, quo multum & purum aërem trahere poſſit," in hoc certe habendum erat vel maximi. Neque minus con-

* Sydenhami opera univerſa, p. 189. edit. Lug. Bat.

veniebat

veniebat ſedulo operam dare, ut in omni re, munditiæ quantum fieri potuit, exquiſitæ ſtuderetur. Id quidem tum cubanti ſalutare, tum etiam miniſtris magnopere neceſſarium. Quanquam enim in ædibus civium locupletiorum raro propagari viſa ſit hæc noſtra dyſenteria, longe alia tamen, & miſerior ſors erat immundæ paupertati; neque omnino dubitandum, quin, in infimis de plebe familiis, diſſeminaretur contagio, &, peſtilentiæ ritu, ab alio corpore ad aliud tranſiret.

Ubi jam eſſe in tuto videbantur omnia, præcipue verendum tamen erat, ne in eundem morbum denuo reciderent incauti nimis & improvidi, & fiducia ſecundæ valetu-

dinis abuſi. Diu igitur vitare oportebat deſtillationes, & cruditates: Diu aſſumendi cibi faciles, & qui ventriculo ſimplices ſederent. Tarde enim confirmabantur inteſtina; nec facile erat morbum, reliquiis ſuis pertinaciter inhærentem, funditus penituſque elidere. Aqua, in qua lignum campechenſe incoctum fuerat, convaleſcentibus ſalutare erat præſidium *. Cortex peruvianus, niſi inteſtinis jam ad aliquam firmitatem reſtitutis, adeo nihil proficiebat, ut aliquando multum etiam malo adjiceret: eo autem opportune dato nihil prius, aut ad refectionem corporis efficacius.

* Cortex Guianeus, ſimarouba, haud, ullo morbi tempore, medicorum votis reſpondit.

cius. Equo vehi plurimis pro remedio erat.

Ineunte menſe Octobri, An. M.DCC.LXII, cadaver hominis dyſenteria extincti ſecuit vir & ingenio & modeſtia ſingulari, Gulielmus Hewſon, celeberrimo Huntero noſtro in re anatomica ſocius atque adjutor. Ille hæc, a ſe animadverſa, mecum humaniſſime communicavit; quæ, cum ad penitiorem morbi cognitionem adprime faciant, lectori minime ſunt invidenda.

" Intestinis, inquit vir diligens & acutus, conſpectui ſubjectis, eorum parietes mole admodum auctos percepi; aliquibus etiam in

locis coarctatos. Ea cum forfice ſurſum verſus aperueram, facies interior recti, coli, & cæci, & particulæ etiam alicujus extremi ilëi livida viſa eſt, inteſtinum ſphacelo corruptum haud male referens. Iſtam vero livoris ſpeciem haud aliud induxerat, quam mucus quidam inteſtinis hiſce ubique illitus, aterrimo colore, ſanguinique omnino ſimilis, qui, e vena diutius emiſſus, jam prorſus computruerit. Inquiſitione diligentius facta, faciem eam inteſtinorum interiorem ingenti tuberculorum numero obſeſſam vidi; quæ puſtulis quidem variolarum magis inter ſe inæqualia fuerunt, ad cætera vero haud multum abſimilia. Muco penitus abſterſo, nulla membrana, ſuperficiem

ciem quæ tegeret, inventa eſt. Hæc tubercula digitis quoties preſſi, ex iis pauxillulum quiddam liquoris cruenti exudavit. Incidens, ſolida ea inveni: et primo quidem aliqua mihi oborta eſt ſuſpicio, ea non alia fuiſſe, quam corpuſcula fungoſa ex ulceribus quibuſdam oriunda. Sed cum ſtatuiſſem eorum naturam quanta poſſem diligentia inveſtigare, nihil tandem explorati de re perdifficili atque obſcura auſus ſum ſatis decernere. Tunica illa inteſtini, quæ a peritonæo oritur, & altera illa, muſcularis dicta, ſolito quidem craſſiores, integræ tamen inventæ ſunt. Tunica cellularis & villoſa adeo inter ſe confuſæ fuerunt, adeoque denſatæ vi inflammationis, ut utrum a cel-

lulari tunica (interna ſcilicet prius deſtructa) ortum duxerint hæc tubercula; an ea tunicæ villoſæ ſolummodo concretiones extiterint, omnino incertus hæſerim.

Animadversum eſt tubercula per omnem internam ſuperficiem craſſiorum inteſtinorum minime æquali ratione ſparſa fuiſſe; in altera parte plura, in altera pauciora inventa.

In craſſioribus inteſtinis nihil ſtercoris fuit. Quod ad inteſtina tenuia pertinet, & ad alia viſcera abdominis; ea quidem nihil præter naturam conſpectui noſtro obtulerunt.

Particula extremi coli, aqua diu macerata, albiſſima tandem facta eſt, perinde ac ſi perfecta ei ſanitas contigiſſet. Neque enim ſolum mucus ater ille, ſed etiam ſanguis univerſus, quicunque aut in vaſis, aut in ſpatio, partibus interjecto, hæſerat, omnino ablutus eſt. Atrum itaque illum muci colorem, neutiquam ex ſphacelo ortum fuiſſe, ſatis hoc argumento opinor patere. Particula extremi coli memorata, in muſeo anatomico Hunteriano aſſervatur.

Haud longo temporis intervallo, viri generoſi, eodem morbo extincti, cadaver ſecui: huic autem operi interfuit medicus doctiſſimus, Joannes Pringle. In hoc corpore,

craſſiora

craſſiora inteſtina prope eadem omnia, quæ in altera hiſtoria fuſius deſcripſi, repræſentarunt. Hic vero tubercula non tam ſibi invicem contigua, & etiam pauciora invenimus. Neque adeo evidenter patuit, eorum ſuperficiei nullam obductam fuiſſe membranam. In cæteris, quantum pertinuit ad inteſtina, alterius alteri cadaveri ſimilitudo fuit abſoluta."

Coronidem huic, quicquid eſt operis, imponent literæ, quas ad me, de hac ipſa re, dederit vir, ingenii laude inter primos florens, Charltonus Wollaſton. Ille nuperrime II cadaverum dyſentericorum alvum ſecuit; laudabili eo conſilio, ut, quæ præcipue morbi ſedes eſſet, quænam viſcerum partes

tes veſtigia ejus impreſſa retinerent, certiorem ſe faceret. Cumque omnia, a ſe animadverſa, mecum humaniter communicaverit, eadem publici juris lubenter facio, & harum rerum ſtudioſis expendenda in manus trado.

GEORGIO BAKER, M. D.

CHARLTONUS WOLLASTON

S.

* CUM te, vir amiciſſime, de dyſenteria epidemica, quæ Londini anno M.DCC.LXII ſæviit, commentarium conficere intellexerim; rem nec tibi ingratam, nec

* Auctor hujuſce epiſtolæ plura mihi de hac materie, pro ſua humanitate, pollicitus fuerat. Sed illum, hæc aſſidue meditantem, in ipſo ætatis flore acerba mors abripuit. Dolet profecto meminiſſe quantum inde detrimenti

nec a vitæ meæ inſtituto alienam, me facturum opinatus ſum, ſi tibi impertirem quid mihi de ſede dyſenteriæ anatomia nuperrime patefecerit; duorum nautarum dyſentericorum cadavera dum inciderem. Eo lubentius ad hanc opellam me accinxi, quod non multæ editæ ſint obſervationes, a cadaveribus eorum, qui huic morbo ſuccubuerunt, deſumptæ; & quod probabile hinc videatur, dyſenteriæ epidemicæ Londinenſis eandem omnino fuiſſe

---

menti acceperit res medica. Raro equidem in ullo Homine, quam in iſto, ingenium aut avidum magis bonarum artium, aut magis capax; raro in excolenda medicina conſtantiorem induſtriam; candidiorem animam haud unquam novi.

naturam,

naturam, ac illius, quæ tot nautas, & milites quotannis tollit. In his enim nautis (qui e navi oneraria, in qua morbus diutius jam ſævierat, ad noſocomium noſtrum delati ſunt) eadem aderat contractio inteſtini coli, & recti, idem morbus tunicæ internæ villoſæ horum inteſtinorum, eadem tubercula fungoſa, ac in iis cadaveribus, quæ ſecuit Hewſonus noſter.

EORUM alter (annos circiter quadraginta natus) morbo jam per ſeſquimenſem implicitus fuerat. Diarrhœa incruenta primo correptus eſt; nullo comitante dolore, nullo teneſmo. Quum per aliquot jam dies duraſſet diarrhœa, dolor ortus eſt inter umbilicum & oſſa

pubis.

pubis. Ex eo tempore perpetua erat dejiciendi cupiditas, cum summo cruciatu in intestino recto; merus vero sanguis, aut mucus, alvo redditus. Per integrum mensem his malis conflictato, corpus perquam imbecillum factum est. Cum ad nos delatus esset, pulsus vix sentiri potuit; lingua quam maxime arida; dentes, & labia, humore nigro inhærente deturpata; manus frigidæ. Denique post quinque dies mortem obiit.

Mortui cadaver secuimus. In membrana cellulari, ut & in omento, vix quidpiam adipis invenimus. Intestina tenuia morbo parum affecta; nisi quod tunica externa magis rubra quam ex consuetudine

ſuetudine fuerit, & hic illic colore nigro imbuta. Inteſtinum tamen vix gangræna correptum, aut ſaltem vix minus firmum viſum eſt, quam pars iſta inteſtini, ubi color non mutatus perſtiterat. In inteſtino jejuno (decem circiter pollices infra duodenum) inſignis fuit inteſtini, quod dicimus, intuſ-ſuſceptio: nulla tamen ibi inflammationis, aut gangrænæ nota. Nihil omnino ſanguinis, aut muci ſanguinei, in inteſtinis tenuibus. Pars ima inteſtini ileï inflammationis ſigna magis evidentia exhibuit. Tunica interna villoſa quam maxime rubra: tunica autem externa nigerrima. Inteſtinum cæcum aëre diſtentum. Colon vero totum & rectum mire contractum; adeo ut

vel

vel hujus vel illius inteſtini diameter nuſquam tres quartas partes pollicis æquaverit; quibuſdam in locis etiam in minorem molem contracta. Tunica externa albiſſima. Inteſtino colo & recto e corpore excifis, & ſecundum longitudinem ſectis, in conſpectum venit tunica interna villoſa, muco ſanguineo obducta: hoc muco ſpongia deterſo, in tunica villoſa non leves morbi notas invenimus: tota enim referta fuit tuberculis; hinc rotundis, parvulis, rubris; inde latis, fungoſis, eminentibus; quæ viſa ſunt conflari ex tuberculis quamplurimis parvulis, in eminentiam unam fungoſam cöeuntibus. Inter hæc tubercula pars quædam tunicæ villoſæ ſanam quibuſdam in

 locis

locis ſeſe obtulit. Præter hæc tubercula rubra, maculas quaſdam vidimus parvulas, rotundas, nigras, petechiis illis, inter exanthemata varioloſa aliquando obſervatis, ſimillimas. Totum inteſtinum rectum, & pars ima inteſtini coli, tuberculis hiſce rubris abundarunt; at nullas ibi maculas nigras vidi: per reliquam vero partem inteſtini coli, & tubercula rubra fungoſa, & maculas nigras, huc illuc ſparſàs. Icones duas ſubjeci huic epiſtolæ, ut res, fortaſſis obſcura, nec quidem verbis facile deſcribenda, inde dilucidior reddatur. In Tab. I. depingitur portio inteſtini recti diſciſſi, & quaſi inverſi; ut tubercula, tunicam internam villoſam obſidentia, magis manifeſta ſint.

ſint. In Tab. II. portio inteſtini coli diſciſſi depingitur; ut maculæ nigræ, inter tubercula diſperſæ, ſub oculis pateant. Portio hæc inteſtini e media parte tranſverſæ flexuræ coli diſſecta fuit. Inteſtinum & hoc & illud in muſeo Hunteriano ſervatur. In aliis locis inteſtini coli, nec maculæ nigræ, nec tubercula fungoſa adeo crebra apparuerunt. Nihil omnino ſtercoris, ſcybala nulla in toto tubo inteſtinali inventa ſunt: æger tamen biduo ante mortem, poſtquam pauxillum ſalis cathartici aſſumpſiſſet, ſtercus aliquod, muco & ſanguine commiſtum dejecerat. Hepar magnum, & ima pars ejus, inteſtino colo proxima, colore nigro fuit; parti tamen interiori hepatis naturalis

ralis color. Veſica fellis quam maxime turgida, bile repleta, at coloris flavi, oleoſi; oleum olivarum, aut albumen ovi, cum pauxillo vitelli commiſtum, potius quam bilem cyſticam referente. Juvenis quidam, qui huic ſectioni affuit, bilis tantillum delibare auſus, eam ſaporis omnino dulcis deprehendit. Cætera omnia viſcera abdominalia ſana reperta ſunt; niſi quod meſenterium coloris nimium rubri videretur, & adipe omnino vacuum. Sanguis in vena cava fluidus, & coloris nigerrimi.

Alter nauta, quum morbo jam per unum & viginti dies laboraſſet, ad nos delatus eſt. Ætas hujus hominis vix quinquageſimum annum

num excesserat. Ille, jam per aliquot dies febre detentus, forte fortuna in mare delapsus est; & diu nando ægre se incolumem præstitit. Ea ipsa nocte qua id acciderat, dolore summo in abdomine correptus fuit, & febre: inde dysentericus evasit. Multum & sanguinis, & muci dejecit; stercoris omnino nihil. Perpetua autem fuit desidendi cupiditas, dolorque in ano. De angore etiam summo conquestus est in medio dorso, & ad regionem ventriculi; ut & de dolore in vesica urinaria. Urinam scilicet sanguine tinctam per aliquot jam menses reddiderat. Septimo die postquam in nosocomium venerat, periit. Per triduum jam ex toto

diſcuſſus fuerat dolor; pulſus tamen tremulus, & abdomen tumidum, & intentum, viſcera gangræna correpta fuiſſe, haud fallaci teſtimonio indicaverant.

Mortui cadaver die ſequenti ſecuimus. Inteſtina craſſa adeo ſphacelata fuere, ut ex odore inde orto, vix potuerimus ſubtiliorem obſervationem ſectioni anatomicæ adhibere. Inteſtina tenuia omnino illæſa invenimus; nullæ aderant maculæ nigræ, inflammationis nullæ notæ. Inteſtinum cæcum aëre diſtentum fuit: coli quoque flexura tranſverſa diſtenta, & ſphacelo adeo exeſa, ut per foramina quatuor, vel quinque, lata, materia fuſca, gangrænoſa, odore teterrimo,

teterrimo, cum fæcibus alvinis commiſta, in cavum abdominis effluxiſſet. Tota hæc coli pars hepati, lieni, & ventriculo connexa, & gangræna penitus corrupta fuit: unde factum eſt, ut neque inteſtinum e cadavere eximere, neque tunicam internam in hac parte accuratius contemplari, liceret. Partem reliquam coli, ſicut in altero cadavere, arcte contractam invenimus; ut & rectum; tunicam externam albam; tunicam quoque internam villoſam, muco ſanguineo obductam. Tubercula fungoſa viſa ſunt; at non adeo crebra, neque adeo lata, aut alta, ac in altero cadavere. Maculas nigras nullas vidimus.

HEPAR omnino ſanum fuit; ut & cyſtis fellea, & bilis ipſa. Veſica urinaria magna, & durior ſolito; præcipue pars ejus poſterior, recto contigua; ubi tumor ſcirrhoſus inventus eſt, ovum gallinaceum magnitudine æquans. Nullus calculus vel in veſica, vel in ureteribus, vel in renibus: quod notatu dignum mihi viſum eſt; miſer enim, ut ſupra monui, ſanguinem cum urina per menſes aliquot reddiderat. Vale.

Dabam Londini, Prid. Kal. Jan. M.DCC.LXIV.

DE AFFECTIBUS ANIMI ET MORBIS inde Oriundis

PRÆLECTIO ACADEMICA

HABITA

CANTABRIGIÆ

IN

SCHOLIS PUBLICIS

A. D. MDCCLV.

DE

AFFECTIBUS ANIMI

ET

MORBIS inde Oriundis.

ETSI in arte medicinali excolenda, operam curamque haud mediocrem impenderit omnis fere feculorum omnium induſtria; recentioribuſque laus ſit hæreditatem, a majoribus traditam, eruditione ſua, atque inventis amplificaſſe; medicis tamen hodiernis nequaquam gloriandum eſt, artem ſuam conſummatam undique, omnibuſque eſſe numeris abſolutam;

ſed

ſed dolenda potius medicinæ fortuna, quæ, cum filios habuerit tali ingenio præditos, poſt tam diuturnos exantlatos labores, ad certam ſcientiæ ſtabilitatem nondum increverit. Unde autem id mali profluxiſſe dicam, niſi ex ipſa hominis natura nullo humani ingenii acumine penitus exploranda; non certa aliqua ac uniformi regula ſe patiente contineri, aut perpetua fere ulla recipiente præcepta? Undenam profluxiſſe dicam, niſi ex cauſa, quæ, teſte divino Platone, Græcis olim medicis obfuit, quo minus illi veram morborum indolem inveſtigare poſſent, atque eruere? Τοῦτο καὶ αἰτίον εἴη τοῦ διαφεύγειν τοὺς παρὰ τοῖς Ἕλλησιν ἰατροὺς τὰ πολλὰ νοσήματα, ὅτι τὸ ὅλον ἀγνοοῖεν, οὗ δέοι τὴν ἐπιμέλειαν ποιεῖσθαι·

οὗ μὴ

ε̃ μὴ καλῶς ἔχοντος, ἀδυνατον ἔιη τὸ μέρος ἔυ ἔχειν.

Quadantenus tamen prodiisse prædicabile est aliquod, ac præ se ferendum, si ultra progredi non detur. Ad interiores fabricæ humanæ recessus cultro anatomico patefacta est via: detecta sunt vascula incognita olim, et inaudita: de structura, usuque viscerum certi aliquod satisque explorati cognitum est, atque perceptum: et de dira illa, quæ hominum animos invaserat, fingendi & opinandi libidine tandem, pæne dixerim, triumphatum. Neque ii minimum meruerunt laudis, qui vim corporum naturalium latentem per ig-

nes

nes elicere, et nova inde rerum miracula promere ſunt conati. Quorum alii ad rem privatam, magis quam medicam, attenti, pro iis, quibus avide inhiarunt, divitiis, tenues ſine corpore formas amplexi ſunt, et evanida lucri ſimulacra. Alii tam præcipitis fuerunt, ac vehementis ingenii, ut, torrentium ad inſtar peruvianorum, pretioſum auri, quo quidem abundarunt, metallum, non niſi cum viliori arena, ac luto una commiſtum devolverent. Utriſque autem commune medicinæ ærarium locupletaſſe contigit. Neque fas eſt ſane ut ii illaudati abeant, qui humanum corpus iiſdem omnino legibus, quibus paret tota mundi univerſitas, ſubjec-

tum voluere. Sed et hi, cæterique fere omnes in hunc lapidem impegerunt, quod medicinam in unius corporis cognitione, non hominis, ex animo pariter ac corpore conflati, verſari crediderint. Fieri autem omnino non poteſt, quin ars medica manca ſit ac debilis, quæ varias corporis proprietates exploret, mentis vero rationes negligat omnino ignoretque. Neminem enim, ne rudiorum quidem hominum, latet, quanta ſit animi ſui vis, qualis dominatio et imperium; quos motus, quas turbas intra ſe concitet: quot denique quibuſque modis hoc ſuum vexare ſoleat ac concutere domicilium inquietus incola.

Nam

Nam quatitur ſanguis, nam viſcera perſentiſcunt
Omnia; poſtremo datur oſſibus, atque medullis,
Sive voluptas eſt, ſive eſt contrarius ardor.

Quod ſi illi, quibus teneri adoleſcentium animi traduntur, ad virtutem præceptis inſtitutiſque erudiendi, corpora etiam & vires pupillorum, & varia eorum temperamenta intueri aliquatenus debeant & inſpicere; ſi Plato, ſi Pythagoras, aliique, non mediocres viri, partem non minimam diſciplinæ ſuæ in diætæ regulis conſtituendis collocarint; haud diſpar ſane ratio exadverſum exigit, ut quibus officium eſt morbos corporis tam avertere futuros, quam præſentes tollere, ii etiam quid animus, præſes ille & quaſi naturæ Deus humanæ,

facere

facere ac pati poſſit, ſedulo contemplentur. Profecto, niſi hujus etiam partis eſſentialis, quæ dicitur, debita habeatur ratio, perit prorſus anatomiæ, chemiæque, et ſi qua alia eſt ars medicinæ adjutrix et adminiſtra, irritus omnis labor; et tum de mechanica, tum de omni ſecta medici oleum operamque ſuam miſerrime abutuntur, et id tantum intelligendo faciunt, ut nihil intelligant. Nec vero interea medico litem quis intenderit, tanquam in alienam meſſem falcem improbus immittat; cum quæ philoſophorum eſſe propria videntur, ea etiam ad ſe transferat, artique ſuæ accommodet; id enim ut faciat medicinæ parens Hippocrates ſua

olim auctoritate comprobatum dedit. Δεῖ δὲ μετάγειν τὴν σοφίην ἐις ἰητρικὴν, καὶ τὴν ἰητρικὴν ἐις σοφίην.

Quæ cum ita ſint, Viri Academici, rem me tractaturum fore non minus jucundam vobis auditu, quam uſu et fructu ſalutarem ſpero, ſi præcepta philoſophiæ (illud Ψυχῆς Ἰατρεῖον) quantum non modo ad vivendum bene, ſed etiam ad bene valendum conferant; et quantum puræ ſinceræque ſanitatis eorum corporibus accreſcat, qui animos norunt regere, curſim vobis revocavero in memoriam. Recognoſcetis autem mecum lubenter, qui fructus ex his ſtudiis veſtris capiantur, cum eadem, quæ adoleſcentiam

am alunt, quæ ornant ſenectutem, faciant ſimul ut alteri bona valetudo contingat; alteri lenior meliorque indies fiat, et, ut tota proinde vita, placidiſſimi fluminis ritu, intra alveum ſuum cum pace, et cum dignitate delabatur. Lucianum certe in hac re teſtem habemus locupletiſſimum, qui hominibus maxime longævis ſapientiæ filios annumerat. Plutarchus, et ipſe philoſophus, plurimos commemorat, et eos quidem magnos atque nobiles viros, qui, ope philoſophiæ ſuæ, vitam ac mores ſpectantis, ex malo corporis habitu, et ex tenui, aut nulla potius valetudine, ſpatium ſibi vitæ longiſſimum prorogarint; quos ſcilicet nec metus convellere potuerint, nec ægritudines exedere, nec languidæ

liquefacere voluptates. Quid Democritum, Parmenidemque memorem; quid Gorgiam, ac Protagoram, qui huic pulcherrimæ vitæ duci ac magiſtræ acceptum retulere, quod non modo metam ſenectutis extremam attigerint; ſed, quod majus eſt, (cum non ſit vivere, ſed valere, vita) ad finem longi itineris nec fracti viribus, nec tædiis viarum laſſi pervenerint?

Non temere igitur ab ultima vetuſtate, et ab ipſis adeo tum philoſophiæ, tum medendi ſcientiæ incunabulis, hanc illius ſociam haberi ſolitam eſſe, principeſque ſapientiæ profeſſores (Pythagoram dico, et Empedoclem, et Democritum) medicinam etiam exercuiſſe

accepimus: neque ob hanc caufam folummodo, quam ponit Celfus, "quod medicinam illi maxime re-"quirerent, qui corporum fuorum "robora inquieta cogitatione, noc-"turnifque vigiliis minuiffent:" fas eft enim exiftimare viros folertes, in mente contemplanda diu multumque verfatos, probe intellexiffe quam arcto vinculo, quam apta conglutinatione illa cum corpore cohæreret; nec potuiffe fieri, ut laboraret illa, quin hoc pariter ægrefceret; nec ut hoc ægrotaret, quin illa fimul in confortium morbi, ac focietatem traheretur. Ex horum ignoratione fit, ut, in curandis morbis, plurima toties incaffum trepidet officiofa fedulitas, et multa intempeftive agendo, agat

 nihil.

nihil. Quotieſcunque enim in culpa eſt animus, quorſum ſtomacho (Dii boni!) ingeritur medicamentorum illa omnis, ex ſingulis fere elementis collecta undiquaque farrago; quæ profecto crumenam prius ægrotantis, quam morbum ſunt exhauſtura? Optimum ſane jam medicamentum eſt, a medicamentis prorſus abſtinere. Neque enim papaver ſomno perfuſum, ſuccuſve mandragoræ fabuloſus, aut celebre illud, qualecunque demum fuerit, Homeri pharmacum,

*Νήπενθές τ᾽, ἄχολόν τε, κακῶν τ᾽ ἐπί-
ληθον ἁπάντων,*

miſeros animi ægrotantis tumultus demulcere poterit, aut dulcem ſo-

porem elaborare: nec facile per remedia cardiaca, aut analeptica, aut quocunque alio titulo nobilia, redibit illi vivus color, et corpus ſucci plenum, quem exſanguem jam macieque confectum, et quaſi alterum apud Inferos Tityum,

——— in amore jacentem
Dilacerant volucres, atque exeſt anxius angor,
Aut alia quavis ſcindunt cuppedine curæ.

In hujusmodi morbis eliminandis propinanda eſt non Galeni aliqua, ſed e Socraticis chartis petita medicina; non illa e pharmacopolarum officinis, ſed e ſcholis ſapientium haurienda. Neque enim tam fuit hominum generi infenſa, atque inimica natura, ut corpori-

bus tot res ſalutares, animis nullam ſubminiſtraverit: nec temere dictum fuit illud Cöi Senis apophthegma, " Ἰητρὸς φιλόσοφος ἰσόθεος," aut nobile illud Horatii effatum,

> Sunt verba, & voces, quibus hunc lenire dolorem
> Poſſis, & magnam morbi deponere partem.

Quamvis vero animi affectus, rectæ rationis fræna recuſantes, et inconſiderato impetu elati, non foris ſolum ſeditiones pariant, ſed in viſcera noſtra inteſtini debacchentur; errat plurimum ſevera nimis eorum philoſophia, qui eos non tam moderandos eſſe, quam delendos contendunt; nec circumcidi debere, & comprimi, ſed extrahi ſtirpitus, et toto pectore evelli.

evelli. Non enim nullo, ſed optimo ſupremi rerum conditoris conſilio, qui fruſtra molitur nihil, fabricæ illi humanæ inſeruntur: qui quidem, quoties nobis parent, auræ cujuſdam ſimiles eſſe videntur a puppi leniter ſurgentis, quæ cœlum reficit, ac moderatur, facitque ut per tranquillum vitæ æquor tuto jucundeque curſum inſtituamus: Ubi autem imperium nacti ſunt, rectore quaſi amiſſo, per undas temere volvimur, vento cuilibet ludibrium debituri.

Quod ad modum attinet, quo mens ita in toto corpore dominetur, tum demum ille ſenſibus noſtris demonſtrabitur, cum intimam animæ naturam explorare, legem-

que

que perſpicere dabitur, qua mortale æterno, extenſum inextenſo coëat; quonam hæc fœdere

Diverſis ita principiis ab origine prima
Inter ſe fiant conſorti prædita vita.

Latent profecto iſta, ac latebunt omnia craſſa occultata nocte, & tenebris circumfuſa; ita ut nulla tanta ſit acies humani ingenii, quæ penetrare in animam, qualique coaleſcat connubio, & per membra paſſim didatur, vel conjectura aſſequi poſſit. Nec vero hoc mirabile quiddam, aut dolendum videatur, cum corpora etiam noſtra licet ſecare, aperire, ac mille modis dividere & diſpertiri poſſimus, quæ tamen ſit intima fibrarum conſtructio,

tio, oculis etiam ipſis ſubjectarum, ſcire non detur? Itaque quæſtionem hanc perobſcuram, de qua tam variæ ſunt doctiſſimorum hominum, tamque diſcrepantes ſententiæ, ſicco nobis pede, atque intactam prætervectis, ad ea, quæ facile deprehendi poſſunt, animos et orationem convertere operæ pretium erit, nec injucundus labor.

INTER cæteros humani animi affectus IRACUNDIA fere dominatur maxime, a veteribus idcirco medicis parva febris, ac brevis epilepſia dicta: quæ quidem quantum in homine turbarum excitet, magis in promptu eſt ex pictorum laboribus, aut poëtarum depromere, quam ſingula iſta lenta

oratione

oratione enarrare, quæ tam fluidæ, quam ſolidæ corporis partes momento temporis patiantur. "Ut "ſcias," inquit Seneca, "non eſſe "ſanos, quos ira poſſidet, ipſum in-"tuere habitum." Nihil protinus in toto corpore eſt ſui ſimile; in mente nihil ſui potens. Alius omnino vultus, alius color, alius membrorum geſtus, injuſſi muſculorum motus, tremores non coërcendi, cordis arteriarumque pulſus non naturales, alimenti coctio, nutrimenti diſtributio, humorum circuitus, ſecernenda atque excernenda omnia, univerſa denique hominis confuſa temere, ac turbata compages. Ubi enim, ita ut fit, omnis fere ſanguinis moles e venis ad auriculam dextram præceps confluit,

adeo

adeo ut cor opprimatur quaſi oneri ſuſtinendo impar; inde ſequitur palpitatio, et gravis illa, nec facile quidem deſcribenda, nedum toleranda, anxietas. Simul etiam ſpiritus creber ducitur, atque anhelus: Quod ni fieret, pulmonum arteriis continuo ſanguine turgeſcentibus, ſpatio temporis perquam exiguo, de vita actum eſſet atque conclamatum. Quid enim Sulla (ſi Valerio fides ſit habenda) dum impotenti iracundiæ æſtu extra ſe abreptus eſt? Nonne multo alieno ſanguine effuſo, erogavit ultimo et ſuum? Puteolis enim ardens indignatione, quod Granius, princeps ejus coloniæ, pecuniam ad refectionem Capitolii cunctantius daret, ſpiritum cruore et minis miſ-

tum

tum evomuit; ut Sulla prior extinctus fuerit, quam Sullæ iracundia.

Porro glandulæ, quotquot ſunt, ſalivales haud parum laborant: unde oritur ſitis illa vehemens, nec facile reſtinguenda; fauces aſperæ; et lingua, tanquam febre ardentis, arida.

Unde vero hæc tanta homini mutatio, ut non cognoſcas eundem eſſe? Unde, niſi a membranis, vaſculiſque ſpaſmo contractis, qui ſanguinem ad ſuperiora agitat, et eadem ſimul vi prohibet ne in alveos ſuos vitale flumen revolvatur? Hinc facile quidem fit, ut arteriolæ plexus choroeidëi perrumpantur;

tur; unde apoplexia, quæ audit ſanguinea. Hinc in meningibus cerebri inflammatio, cephalalgia, vertigo, phrenitis.

Licet vero hæc animi perturbatio in ſuperioribus hiſce regionibus has tragœdias moveat, ita ut illic exhauriri prorſus credideris virus ejus omne, omnemque nocendi vim; latius tamen in ventriculum, et in viſcera abdominis univerſa ſævit inteſtina calamitas. Ventriculum in hoc communi tumultu laborare, mirabitur nemo, qui ex anatomia didicit quam exquiſito ſit ille ſenſu præditus; quot illi nervorum propagines inſerviant; quam longæ eorum ambages, quam infiniti atque involuti implexus.

implexus. Inter medicas Tulpii hiſtorias, exemplum eſt volvuli ex iracundia orti, mirum, ſi quod aliud, ac memorabile. Ductus hepatis biliarios inde affici, res eſt tam vulgaris, ac populari uſu comprobata, ut, in idiomate romano, bilem movere, ac iracundiam, perinde ſonet. Canalibus enim hoc ſpaſmo conſtrictis, idem fit quod dolori interdum colico, aut ictibus viperarum ſupervenit, ut in quaſcunque corporis partes diffundatur flavus humor; unde urina bile tincta, oris amarities, et moleſtus quidam ad ſcrobiculum cordis dolor; aut præceps deferatur in inteſtina; unde nauſea, vomitiones, alvi fluxus, febres bilioſæ. Deficeret prius et dies, et patien-

tia

tia veſtra, quam ſermone complecti poſſem quas muſculorum paralyſes; quas narium, pulmonis, uterique hæmorrhagias ſoleant excitare hi motus animorum; quam ſint illi hyſtericis, quam puerperis præcipue reformidandi.

In venenis, ea principem ſibi locum vendicant, quæ a regno, quod aiunt, animali proveniunt: et conſtat eo nocentiora eſſe animalia, quo calidioris temperamenti ſunt, et quo iraſci faciliora. Eadem illa, quæ in Aſia, Italia, atque Sicilia tanto ſunt incolis terrori, ſub frigidiore cœli tractu adeo ſolent miteſcere, ut non amplius virus habeant morſu, nec fatum dentibus minentur. Irritata vero eadem ad

iram, & furore ſimul, & veneno ſibi proprio armantur; et tum demum quaſi induunt facultatem nocendi, cum nocendi libidine exarſerint. Ipſum aquæ pavorem, qui non, niſi ex rabioſi animalis morſu, oritur ſæpiſſime, ſine externo aliquo contagio ortum deſcribit Cælius Aurelianus: quod etiam fide ſua confirmat Borellus. Atque his vim ac pondus adjicit juvenis cujuſdam mandata literis hiſtoria, qui, dum iracundia totus excandeſcebat, digitum momordit ſuum; & brevi factus eſt hydrophobus. Quod ſi cui mirum hoc, et vix credibile videatur, contempletur velim domeſticum illud ac fere quotidianum malum; infantes ſcilicet, ex hauſto lacte nutri-

cis,

cis, ira perculſæ, quos ſpaſmos, quæ alvi tormina, quas vomitiones, diarrhœas ſubeant.

MAGNI ſubitique TERRORIS comites ſunt tremor, frigus, pallor; quem idcirco poëtæ, haud ſordidi ii naturæ interpretes, gelidum pallidumque appellarunt. Hunc vero affectum nuſpiam vel apud poëtas, vel philoſophos invenies aptius, non adumbratum modo, ſed etiam expreſſum, quam in hiſce Lucretii verſibus, poëtæ ejuſdem ac philoſophi.

—Ubi vehementi magis eſt percuſſa metu mens,
Conſentire animam totam per membra videmus;
Sudores itaque, et pallorem exiſtere toto
Corpore, et infringi linguam, vocemque aboriri,
Caligare oculos, ſonere aures, ſuccidere artus.

 Nulla

Nulla mali cauſa vel in ſolidis, vel fluidis latente, per merum animi motum excitantur eadem omnino, quæ paroxyſmo febrili præcedere ſolent, phœnomena. Uſque adeo conſtringitur cutis univerſa, ut venæ ſubſidant prorſus atque occultentur. Tanto confeſtim impetu cor verſus, pulmonemque agitur ſanguis, ut fere utrumque obruat. Hinc illa circum præcordia anxietas; hinc dyſpnœa; hinc pulſus debilitas, et frequentia.

'Εν δέ τέ οἱ κραδίη μέγαλα ςέρνοισι
πετάσσει.

——Exultantiaque haurit
Corda pavor pulſans.——

TERRORIS, et iracundiæ diverſos inter ſe, diſſimileſque effectus pul-

cherrime

cherrime, pro ſuo more, pingit Galenus. *Φόβος δὲ καὶ θυμὸς, ὁ μὲν εἴσω τε, καὶ πρὸς τὴν ἀρχὴν ὑπάγει, καὶ συστέλλει τό τε πνεῦμα, καὶ τὸ αἷμα, σὺν τῷ καταψύχειν τὰ ἐπιπολῆς· ὁ δὲ ἀποτείνει τε καὶ χεῖ καὶ θερμαίνει· καὶ τοίνυν καὶ οἱ σφύγμοι τῶν ἀρτηριῶν μικρότατοι μὲν, καὶ ἀτονώτατοι τοῖς φοβηθεῖσι, μέγιστοι δὲ καὶ σφοδρότατοι τοῖς θυμωθεῖσιν.* Terror itaque, apud Ciceronem, fuga quædam animæ, et receſſus ad interiora, optimo jure dicitur. Quas autem non movet tragœdias, ubicunque inciderit, ſanguinis temere agitati error et impotentia! Inde nervorum diſtenſio; epilepſia; facultas imaginatrix læſa; cerebrumque mille modis perturbatum.

Denique concidere ex animi terrore videmus
Sæpe homines.——

Musculi nimirum tanquam ex paralysi resolvuntur momento temporis, animusque illico cum toto corpore colliquescit.

—— λῦτο γοῦνατα, καὶ φίλον ἦτορ.

Hæc autem levia sane et mediocria videntur mala, cum constet hanc animi perturbationem ipsum cor paralysi aliquando affecisse; hominesque e medio præcipitasse, ictu fulmineo potentiorem. Quod fit (uti Galenus eleganter monet) ὅταν ἀσθενὲς φύσει ψυχάριον ἰσχυρῷ πάθει κατασχεθὲν, ἀθρόως κατασβεσθῇ τε, καὶ καταπνιγῇ.

Nonnulla etiam excrementa, quæ in utilitatem vitæ nostræ instituit providens natura, suscepto

metu,

metu, ſiſti protinus, et ceſſare, res eſt medentibus nimium familiaris. Notum eſt nimis quam gravis ſit ille geſtanti, lactantique fœminæ; abortus ſcilicet inde naſci cum lethali hæmorrhagia; ſiſti lochia; coïre lac; obſtructaſque mammarum glandulas in tubercula ac ſcirrhos indureſcere; unde ulcera mali moris, horrendumque tandem carcinoma.

Quid, quod animi terror morbis, quotquot propagantur ex contagio, viam munire, ac præſternere videatur; eo uſque ut ipſa peſtilentis veneni ſemina vel inde generari poſſe, in mentem induxerint quidam multi nominis ſcriptores? In oppidis, bello oppugnatis, ma-

ligna illa ſebrium natura ab hac cauſa, quadam ſaltem ex parte, originem ducit; cum homines aut timore mortis ſuæ, aut cæſorum deſiderio, aut ſervitutis metu ita toti occupantur, ut morbo nec avertendo pares ſint, nec ferendo. Diemerbroeckius ſe tranquillo ſuo hilarique animo acceptum retuliſſe credidit, quod, dum inter homines peſte laborantes indies verſaretur, liber ipſe contagio evaſerit. Cui quidem ſuffragantur ſententiæ illa, quæ de peſte obſervavit olim Thucydides; haud aliud ſcilicet ſaluti inimicum magis fuiſſe, quam ſalutem nullam ſperare; ipſamque adeo mortis formidinem mortem brevi futuram prænuntiare. Δεινότατον δὲ πάντος ἦν τοῦ κακοῦ ἡ ἀθυμία, ὁπότε

τις

τις ἀίσθοιτο κάμνων· Πρὸς γὰρ τὸ ἀνέλπιστον εὐθὺς τραπόμενοι τῇ γνωμῇ, πολλῷ μᾶλλον προΐεντο σφᾶς αὐτοὺς, καὶ οὐκ ἄντειχον. Eandem plane ſententiam, lingua donatam romana, agnoſcite apud Lucretium; qui ſane, in peſte Athenienſium deſcribenda, Thucydidem ita interpretatur, ut vim ſimul hiſtorici ſcriptoris exprimat, ſimul augeat majeſtatem.

Illud in his rebus miſerandum, et magnopere unum
Ærumnabile erat, quod ubi ſe quiſque videbat
Implicitum morbo, morti damnatus ut eſſet,
Deficiens animo, mœſto cum corde jacebat
Funera reſpectans, animam et mittebat ibidem.

Nec diſſimilis eſt variolarum ratio. Quoties enim fit, ut, dum medici fauſta omnia, omnia ad ſalutem

lutem augurantur, ſuſcepto aliquo terrore, repente pus omne ac venenum in ſanguinem, tanquam per externi frigoris vim, repellantur! Inde naſcitur gravis, atque oppreſſus ille arteriarum pulſus, debilitata cordis machina, vaſculiſque in fluida ſua minore vi contractis, aut fluidis etiam ipſis viſci quodammodo naturam induentibus, & tenacitate ſua minus ad motum aptis. Inde retinentur in corpore, quæ excerni debent; et eodem tempore major ſit moles movenda, vis motrix minor. Adeoque facile cuivis hæc contemplanti liquet, quam neceſſe ſit illi, qui ad morbi hujuſce curationem ſe accingit, tam animi, quam corporis temperamentum ſtudioſe intueri; nec ita perpetuo in

verba

verba magiſtri ullius jurare, ut non aliquando a Mortoni partibus ad Sydenhamum, a Sydenhami viciſſim ad Mortonum transfugiat. In hoc certe miſerrimo rerum ſtatu, niſi ad regimen calidius, niſi ad veſicantia, tanquam ad ſacram anchoram, confugias, næ tu medendo parum proficies. Quo magis mirari ſoleo morbum, tum per ſe gravem, tum ob ſubitas affectionum vices, et ægris, et medentibus, vehementer (ſi quis alius) formidandum, muliercularum curæ haud raro committi: quaſi profecto tali auxilio res illa eſſet expedienda, quæ conjuncta medicorum conſilia, totamque materiem medicam toties eluſerit.

Morbi mentis, hactenus memorati, merito inter acutiſſimos ſunt recenſendi; ſub quibus (ut cum Celſo loquar) aut ſanitas in propinquo eſt, aut exitium. Tristitia autem lentiori paſſu, ac pedetentim procedit; veneni illius haud abſimilis, quod tam perite temperare Barbaros fama perhibetur, ut vitæ humanæ ſtamina ſenſim depaſci norint, et longa morte minutatim conſumere. Proprium autem eſt quoddam ac peculiare triſtitiæ, ſolidas corporis partes labefactare, et ſolvere. Unde apud Ciceronem diſcimus hanc ægritudinem, ad verbum ſatis imperite, ad rem haud inſulſe, λύπην (quaſi λύσιν ſolutionem) fuiſſe olim a Chryſippo

po dictam. Hujusce rei grave nuper exemplum præbuit vir magni in primis, et præstantis ingenii. Is, postquam Hiberniam suam poësi, leporibusque atticis, et eloquio ornaverat, dolens usque parem meritis non respondisse favorem, et observantiam; pariterque amicis, inimicis, et sibi iratus, tandem in exilem hominis imaginem, et meram quasi umbram extenuatus est. Cum autem, prope acta jam atque decursa ætate, præ tanta morum asperitate, et immanitate naturæ, mens illi subversa esset; et ingenium illud excelsum, sublime, et eruditum turpissime deliraret; illico animatum senis sibi superstitis cadaver nutriri cœpit, et pinguescere, ab hospite tam inquieto liberatum.

Ex

Ex triſtitia ortum ſuum, et incrementum ducere ſcorbutum, res eſt tot comprobata exemplis, ut Eugalenus, cui ſane magna fuit exercitatio medendi, nec mediocre ingenium, aſſerere non dubitaverit, eum, inter ægros ipſi commiſſos, aut huic cauſæ ſemper, aut victui craſſo ſuperveniſſe. Hoc inſigni ſatis argumento confirmat itineris nobiliſſimi Thalaſſiarchæ Britannici ſcriptor; non otioſus ille, atque umbratilis hiſtoricus, ſed qui navigationis longæ miſeriis, pars ipſe magna, interfuit; quique tum legenda ſcripſit, tum ſcribenda et fecit, et paſſus eſt. Quoties nautis obvenerat aliquod adverſi, quodque ſpem redeundi ad ſuos minueret, auctis ſtatim viribus adeo increvit

crevit morbi ſuror, ut perirent quidem quotquot in ultimo morbi gradu verſarentur; alii vero, qui, languida membra trahentes, munere ſuo fungi aliquantulum poterant, lectis illico affigerentur morituri.

Ex hoc affectu præcipue laboránt viſcera abdominis, uti diſerte monet Hippocrates. *Φρόντις νοῦσος χαλεπή· δοκέει δὲ ἐν τοῖσι σλπάγχνοισιν εἶναι οἷα ἄκανθα, καὶ κεντέειν.* Fracto nempe viſcerum elatere, ſanguini venæ portarum injicitur major ſolito mora; unde ille omni momento ſpiſſior fit, ineptiorque ad motum; et in hepate, in liene, in pancreate vaſa ſenſim obſerat, viamque occludit ſibi. Atque hic certe eſt, aut nuſquam eſt, atrabi-

larius

larius ille humor, a veteribus adeo medicis decantatus; cui cauſa eſt frequentiſſima in una aliqua contemplatione ingrata mens diu defixa. Ἢν φόβος καὶ δυσθυμίη πουλὺν χρόνον διατελέῃ, μελαγχολικὸν τὸ τοιοῦτον. Inde ſequuntur illa melancholicis ſolennia, ut ſpectra ſibi adſtantia fingant, dæmonumque, pænarumque apud inferos æternarum horrendæ obverſentur imagines. In religione omnia hæc inſunt mala: religione, inquam, non illa ſimplici, et illibata, et qualis a cœlo deſcenderit; ſed falſa, et polluta fraudibus; quæ rugis, ſupercilioque ſe commendat; qualiſque a viris aſtutis ficta eſt atque excogitata, ea mente ac conſilio, ut in conſcientias hominum, gravi laborantes ſub jugo, latius

ipſi dominentur; et perdant facilius, quos dementaverint prius. In hoc morbo, egregium eſt quoddam, ac mirabile, quantum mutetur, quam diſſimilis ſit ſui tota corporis humani compages; dum mens, ſtatione quaſi relicta, peregrinari videtur a ſenſibus; nervique tanquam ex paralyſi obſtupeſcere; quos nec vis papaveris demulcere novit, niſi maxima; nec remedia, niſi quæ acerrima donantur virtute, aut ad dejectiones, aut vomitum irritare. Inde fit, ut tantum medentibus faceſſere ſoleat negotii atra hæc bilis, viſceribus tam pertinaciter infixa; nullis illa interdum medicamentis, non omni omnium Anticyrarum elleboro expellenda.

ATQUE hæc de triſtitia. INVIDIÆ, cognatæ illi quodammodo, atque congeneri, (cum non ſit hujuſce loci, aut temporis ſingulos animi affectus circumire, ſed tantum ſumma eorum quaſi delibare faſtigia) diu immorari ſupervacaneum fore duco. Hæc eſt hoſpes humani pectoris moleſtiſſima, hæc ea inteſtina peſtis, quæ ſanguine, humoribuſque noſtris malum ſuum immiſcet virus; quæ

Intactis vorat oſſibus medullas,

Et totum bibit artubus cruorem.

Etiam in tenella hominis ætate, ipſiſque adeo incunabulis (mirum eſt quod dicturus ſum, at experientia ſatis pervolgatum) produnt ſe haud obſcura

obſcura quædam zelotypiæ ſigna; ita ut infantulum aliquem hic inde videre liceat ex hoc affectu, tanquam tabe, miſerrime extenuari, ac langueſcere; non, niſi rivali infantulo aut amoto ab oculis, aut de induſtria neglecto, arte ulla, aut auxilio medicorum a gravi morbo liberandum.

IN hoc morborum agmine, de MALO HYPOCHONDRIACO vobis, Viri Academici, quod dolendum eſt, tam familiari, et in hiſce ſedibus quaſi endemio, gravi certe, quemcunque invadat, et multicolori monſtro, ſeque in omnia morborum miracula facile convertenti, minime ſuperſedendum eſt loqui. Hoc a melancholia non tam genere

diſcrepat, quam gradu; nec tam alia eſſe ægritudo videtur, quam ægritudo minor. Utriuſque eadem fere eſt origo, nec diverſa ſedes. Hoc morbo luctantur omnes pæne literarum cupidi; quibus nocet, junctis viribus, nimia ſimul corporis quies, ſimul nimia animi contentio. Nihil enim, Celſo judice, æque frangit robora, atque debilitat, ac inquieta cogitatio. Malo autem hocce præcipue tentantur ii, qui Muſas colunt ſeveriores, et quos juvat duro nimium labori indulgere; quorum animus tcties velox abit, oblituſque corporis, ut huic cum illo nihil fere intereſſe conſortii, aut ſocietatis videatur. Inde nihil in corpore ſani, atque ſinceri; lædi ventriculus, et ciborum

coctio;

coctio; materiesque mille morborum nasci sensim in visceribus, atque accumulari. Beati illi, qui negotium cum otio ita sapienter miscere, ita literarum disciplinam agitare solent, ut ea, quæ animo præcipue omnium necessaria est, non sit inimica corpori; qui, dum hunc alere student, atque ornare, simul, data opera, cavent, ne quid illud detrimenti accipiat; nec in secunda valetudine, adversæ præsidia consumantur! Beati, qui id maxime sectantur studiorum genus, ex quibus dulce simul cum utili fluat; et unde cum scientia rerum ingenua quædam enascatur oblectatio! In omni autem encyclopædia, nihil vitæ, ac valetudini accommodatius est, quam naturæ

contemplatio; unde mentem exercet ſimul, reficitque jucundiſſima divinorum operum varietas; laboribuſque aliquam levationem affert ipſa laborum viciſſitudo. Abſit vero, ut in rerum metaphyſicarum tenebris & ſpinetis; abſit, ut inter ſterquilinia criticorum vitam agentes, aut lethargi furtim obrepentis inertia, aut languidi hydropis obruamur diluvio!

Nec nihil nocet, affectibus licet his tam contraria, ac diſſimilis, Lætitia. Pariter illa cum mœrore æquabilem animi tenorem pervertit, pariterque fit melancholiæ parens: lætitia, inquam, illa inſolens, et inopinata: gaudio enim temperato placide movetur animus:

lætitia

lætitia exultat, geſtitque, et extra ſe rapitur. Ex quò pendet aphoriſmus ille Sanctorii, "victoria moderata ſalubrior quam glorioſa." Anno hujuſce ſeculi viceſimo (ex annalium ſane noſtrorum monimentis, ſi fieri poſſet, eruendo) plures mente captos fuiſſe memoriæ proditum eſt, in quos prodigus fortunæ favor ampliſſimas confeſtim opes profuderat; quam quos iniqua eadem bonis omnibus, et omni patrimonio nudaverat. Non deſunt hominum exempla, quos momento temporis peſſundederit vehemens exultatio; anima quaſi intercluſa, et vim magni ſubitique motus non ſuſtinente. Ideoque hanc aliis apoplexiæ cauſis merito jure annumerat Aretæus. Παρέλυσέ

 κοτε

κοτε χάρμα ἀδόκητον, καὶ μέγα, καὶ γέλως ἄσβεστος μέχρι θανάτου. De Rhodio Diagora celebrata hiſtoria eſt. Is tres filios ſuos, unum pugilem, luctatorem alterum, tertium pancratiaſten, vidit omnes vincere, coronarique eodem Olympiæ die: cumque, coronis in caput patris poſitis, eum adoleſcentes amplecterentur, populuſque gratulabundus flores undique in eum jaceret; ibi ille in ſtadio, copia, atque turba, et quaſi ruina incidentis gaudii oppreſſus, vitam efflavit. Quid de Sophoclis morte plura memorem, aut Dionyſii Siciliæ tyranni, utriuſque in poëtarum certamine victoris, quos fama eſt furorem ipſum quendam, et impotentiam lætitiæ uno quaſi ictu exanimaſſe?

In affectibus hifce tumultuariis fuftinendis & perferendis, mirum eft fane, homini homo quantum præftet. Quæ res non aliam ad caufam referri debet, quam ad varia hominum temperamenta. "Quemad-"modum enim (ut cum optimo Sydenhamo loquar) "homo quidam "exterior confpicitur ex partibus "fenfui obviis compaginatus; ita "proculdubio et interior quidam "eft homo, e debita fpirituum qua-"fi fabrica conftans, folo rationis "lumine contemplandus. Hic ve-"ro, cum temperie corporis inti-"mius junctus, tanto ægrius faci-"liufve de ftatu fuo dejicitur, "quanto major eft, minorve, quam "a natura fortimur, principiorum "conftituentium firmitas." Atque ex hac diverfa hominum conftructione

ſtructione ducitur varia illa corporum odoratorum vis. Moſchi zibethique virtute adeo reficiuntur illico & recreantur nonnulli homines, ut a morte fere vindicari aliquando videantur. Sunt, quibus nimius ſit violæ odor; quibus roſæ intolerabilis ſuavitas. Nec aliunde fieri exiſtimo, ut, morbo aliquo populari invaleſcente, aliis eo corripi primo ſtatim impetu obtingat; aliis impune liceat eodem aëre veſci, et in eadem contagione nullo cum periculo verſari.

Caveant ſibi ii præcipue ab his animi perturbationibus, quibus præcordia e molliore quaſi luto finxit natura; quibuſque tam tenera eſt, tamque delicatula ner-

vorum habitudo, ut nec aliquam voluptatis insolentiam, nec inusitati doloris stimulos sine fraude patiantur. Caveant, inquam, si apud illos pretii sit alicujus valetudo sua; si vitanda sit hæmoptysis, aut si paralysis pertimescenda.

Caveant etiam sibi omnes, quotquot podagræ obnoxii sunt. Iis tranquillatem animi & constantiam omni ope stabiliendam esse, auctor est uberrimus, qui morbi atrocis vim tum expertus est ipse, tum aliis consilia dare, quæ ipsis usui forent, novit optime, Sydenhamus. Neminem autem hominum fere esse credo, quem podagra aliquamdiu vexaverit, quin lugubri ipse experimento comprobaverit,

baverit, quam vera ſit hæc optimi medici et viri prudentiſſimi ſententia. Nec vero morbo huic ſolum excitando favent vehementes animi affectus; ſed etiam haud raro fit, ut, quorundam venenorum ritu, ipſi in remedium tranſeant; morbumque nervis, prius ceſſantem, dicto citius, et quaſi magica quadam virtute excutiant. Ii itaque, quantum video, maximo in errore verſantur, qui cauſam podagræ latentem in cruditate et cacochymia, neſcio qua, humorum ſemper quærunt; cum tantam ſanguini circumeunti mutationem tantillo temporis intervallo ſuboriri poſſe, incredibile prorſus videatur.

Inter prima antiquorum remedia

dia extitiſſe muſicam, tum monimenta ipſorum, tum priſcæ medendi rationis veſtigia quædam, quæ ætas nondum delevit, abunde conteſtantur. Muſicæ autem in eo ſita eſſe videtur vis omnis, ut animum unice afficiat, eumque vel langueſcentem excitare poſſit; vel tumentem, et iras attollentem pacare leniter, ac demulcere; et inde nervos, fibrillaſque corporis in concentum quendam ſecum atque harmoniam trahere. Ἐπαοιδῇ αἷμα κελαινὸν ἔσχεθε vetuſtiſſimus poëtarum Homerus. Et Æſculapium (qui quoniam rudem hanc ſcientiam paulo ſubtilius excoluit, in Deorum numerum receptus eſt) carminibus fuiſſe in medendo uſum accepimus. Audite Pindarum hæc inter divini

ſenis

ſenis inſtrumenta medica recenſentem; haud vilia illa, aut contempta, credo, tunc temporis, remedia, cum iis principem etiam locum poëta conceſſerit.

Τὸς μὲν ὦν ὅσσοι μόλον αὐτοφύτων
Ἑλκέων ξυνάονες, ἢ πολιῷ
Χαλκῷ μέλη τετρωμένοι,
Ἢ χερμάδι τηλεβόλῳ,
Ἢ θερινῷ πυρὶ περ-
-θόμενοι δέμας, ἢ
Χειμῶνι, λύσαις ἄλλον ἀλ-
-λοίων ἀχέων,
Ἔξαγεν, τὸς μὲν μαλαχαῖς
Ἐπαοιδαῖς ἀμφέπων,
Τὸς δὲ προσανέα πί-
-νοντας, ἢ γυίοις περιάπτων πάντοθεν
Φάρμακα, τὸς δὲ τομαῖς ἔστασεν ὀρθός.

Hoc

Hoc autem medicinæ genus tum apud alias Græciæ gentes, tum apud concives Pindari, Thebanos, præcipue invaluit; ad morſus ſerpentum, ad epilepſiam, podagramque, et ipſam etiam peſtem adhibitum. Et quid mirum, cum Apollo idem muſicæ, et medicinæ præeſſet; cumque veterum Græcorum cantores philoſophorum titulo digni haberentur; nec artem tantum medendi callerent, ſed omnes omnium ſcientiarum diſciplinas complecterentur?

Nec ullus ſane dubitandi eſt locus, quin in eos omnes aquarum mineralium fontes, ad quos tanta frequentia ubique gentium confugit quicquid fere invalidorum

eſt

eſt atque ægrotantium, a locorum amœnitate, et a jucundo vitæ victuſque conſortio, quadam ſaltem ex parte, derivetur virtus. Ibi enim animus diſcit quaſi ſeipſum fugere; et ab ærumnis curiſque ſuis, ad res extra poſitas, et ad varia voluptatum lenocinia convertitur. Qui enim in ſe ſæpius altiuſque, quam par eſt, deſcendit, certo certius aut inveniet mala, aut faciet: et præter quas ipſa vita ſecum afferat, miſerias addet, qui iis, quas afferat, nimis anxius immoratur.

Periapta ſua, atque amuleta magnopere laudarunt antiqui, ſuſpenſa collo, aut brachio alligata; magica ea profecto remedia, et quæ conſtat non aliis fuiſſe virtu-

tibus donata, quam quas iis gratificata fuerit ipſa ægrotantium credulitas. Nec aliunde vires ſuas haurit aut manus regia in curatione ſtrumarum, (quicquid de illa ſomniarint majores noſtri, ſuperſtitioſi mortales) aut anilia iſta quotquot ſunt, medicamenta, quæ ad profluvia ſanguinis (ſi Diis placet) inhibenda, aut fugandas febres plaudenti populo venditantur. Ita verum ſit illud a Seneca dictum, "Quoſdam non, niſi deceptos, ſanari;" et illud Avicennæ, "plus interdum prodeſſe fiduciam in medicum, quam ipſam medicinam."

Quod ſi in hocce campo liberius ſpatiari vellem; et morbos, qui-

cunque a mirabili illa facultate imaginandi aut paſcuntur, aut profligantur, ad examen revocare ſingulos; profecto non ad clepſydram, ſed ad infinitum forem dicturus.

Ex iis omnibus, quæ præmittuntur, ſatis liquet, medici pretium, nomenque merito jure nanciſci, haud eſſe leve quoddam, aut cuivis homuncioni parabile; ſed totis humani ingenii viribus; ſed omni nervorum contentione elaborandum opus. Nihil fere eſt in omni natura aut ſcientia, quod ille non probe cognitum habere debeat & perſpectum; nihil in homine, ſive animum ſive corpus ſpectes, cujus vires non ſibi ſubjectas habeat, & prout res exigit, ingenio & arte ſua regere ac moderari

poſſit.

poſſit. Optime ideo ac ſapientiſſime a majoribus noſtris ſimul ſaluti civium, et artis noſtræ dignitati conſultum fuit, ac proviſum; qui gnari diſciplinas, aliam ex alia nexas, omneſque, inter ſe aptas quodammodo ac colligatas, cognatis animis conjurare, hæc florentiſſima literarum domicilia legibus fundarunt; et, ut ſtudia quæ ad humanitatem pertinent omnia, medicinæ tum auxilio eſſent tum etiam ornamento, curarunt. Quæ quidem ſtudia, quamvis non faciant medicum, aptiorem tamen medicinæ faciunt. Profecto quotieſcunque hæc deſunt adjumenta, quam indignis profeſſoribus dehoneſtetur ars medica, pudet dicere. Iis gratulor ego perfrictæ frontis

præmia; mirorque facundiam præcipitem, herbarum vires, et medicamenta crepantem mera; ipsosque vulgi stupore factos nobiles: qui sacræ medicinæ illotas manus admoventes; philosophia ne vel in primo limine salutata; invita etiam ac repugnante natura, sibimet egregie videntur ad morbi genus omne profligandum armari. Nimirum hi sunt, qui divini Hippocratis filii audire gestiunt; nullo ingenio, dignitate nulla, nulla rerum cognitione ornati; quibus denique medicinam exercentibus, adeo contempta evilescit hæc artium nobilissima, ut in servitutem, pristina illa ac romana turpiorem, jamjam relapsura esse videatur. Aures eorum hominum perstringat tandem aliquando

aliquando ac perſonet illa Cöi oraraculi vox præclara, " Τὰ ἱερὰ ἔοντα πρήγματα ἱεροῖσιν ἀνθρώποισι δείκνυται· βεβήλοισι δὲ ἐ θέμις, πρὶν ἢ τελεσθῶσιν ὀργίοισιν ἐπιςήμης."

ORATIO

EX HARVEII INSTITUTO

HABITA IN THEATRO

COLLEGII REGALIS MEDICORUM LONDINENSIS,

A. MDCCLXI.

ACCEDIT

COMMENTARIUS QUIDAM

DE JOANNE CAIO,

ANATOMIÆ CONDITORE

APUD NOSTRATES.

ORATIO HARVEIANA.

SI qui ſunt, qui oratores veſtros, in hac ſolenni ſua laudatione, de re medica gloriofius paulo prædicare, & magnifice magis quam vere ſolitos loqui arbitrentur, næ illi tum virtutes & merita veſtra parum habent perſpecta, tum etiam de antiquiſſimæ præſtantiſſimæque artis auctoritate atque gloria perperam & maligne judicant. Si enim vilioris æſtimanda ſit medicina, quod terminos quoſdam, a Natura ſibi præfinitos, pudenter agnoſcat; ſi medicis jure vitio vertendum,

tendum, quod artem exerceant mancam atque debilem, quæ conjectura nititur, & in opinionum levitate verſatur; valeant itaque omnes fere, quotquot honeſtas artes homini aut fors objecerit, aut diu multumque meditando patiens extuderit labor. Probe norunt ſapientiæ omnis reconditioris conſulti, quam immenſum ſit illud, quam infinitum quod ignorant; quot regiones in omni reſtent ſcientia aut omnino incognitæ, aut nondum ſatis exploratæ. Eas vero omnes, qua licet, diligenti ſtudio atque labore diſquirere, perluſtrare; in abditos rerum receſſus, Natura duce, penetrare; opes inde undique conquiſitas accumulare, congerere, & ad ſublevandam vitæ mortalis

imbecillitatem

imbecillitatem ac miſeriam adhibere atque convertere; (id quod anteceſſores veſtri ſumma cum laude ſua fecerunt, voſque ipſi ſedulo facitis) id demum humano ingenio, ſolertiæ, induſtriæ, benevolentiæ palmarium, ea veſtra præcipua eſt laus. Suus autem artique ipſi & vobis ſalvus conſtabit honos, ſi unicum appellem hodiernæ celebritatis auctorem atque patronum, medicinæ omnis ſanioris conditorem ſtatoremque, HARVEIUM: plurimum enim vobis, ex veſtra cum tanto viro cognatione, & pretii & amplitudinis accreſcere, teſtor illa ejus de revolubili ſanguinis curſu præclara reperta; teſtor hanc, quam famæ ejus faventem adeſſe video, doctiſſimorum hoſpitum

frequentiam ; teſtor denique hos ipſos parietes, quibus ille decus & ſtabilitatem addidit, quos ære ſuo amplificatos æternitati conſecravit, qui laudibus viciſſim ejus honeſtiſſimis in æternum reſonabunt.

Bene quidem ac ſapienter, Auditores, apud Romanos in more poſitum fuit atque inſtitutum, ut nobilis cujuſque familiæ imagines in ipſo domus atrio collocatæ proſtarent; ea nimirum mente atque conſilio, quo virtus, domeſticis commendata exemplis, tum majorem amorem excitaret ſui, tum poſteritati etiam admoveret acriores quoſdam aculeos ad imitandum. Noſtrum eſt hodie, non ingenii, non eloquentiæ inceptum, ſed pi-

etatis,

etatis, ſed officii, nobiliſſimæ familiæ veſtræ tanquam imagines ob oculos proponere: neque ſane verendum, ne commemoratio hæc quaſi exprobratio aliqua haberi poſſit, cum apud eos prolaturus ſim, qui & alieno fulgore ſplendent, & ſuo; qui, etſi ab iis originem ducant, de quibus vel degenerare aliquatenus liceret, incolumi gloria, eorum tamen veſtigia abunde implent, & laudes ſibi traditas cumulate reponunt.

Atque ut inde dicendo proficiſcamur, unde oritur nobilitatis veſtræ principium; ecquis uſquam eſt in univerſa medicorum gente, quin virum illum, cujus conſiliis, ſapientia, legibus, hanc optime & conſtitutam

conſtitutam & moratam eſſe civitatem gloriamur, tanquam aliquem medicinæ præſidentem Deum, ſuſpicere ſoleat ac venerari? Ecquis, qui ſinceris ſcientiæ cognitioniſque fontibus vel prima labra admovit, quin ex animo honoratum LINACRI nomen ſalutare geſtiat, & reviviſcentium ſimul literarum auſpicia ſibi gratulari? Contemplemini enim animo, natum ante LINACRUM, ſacra illa doctrinæ omnis lux quam aut prorſus jaceret extincta, aut, ſi crepuſcula quædam, maligna illa atque incerta, & quaſi ſubluſtrem caliginem hinc inde ſpargeret. Recognoſcite eccleſiam adeo non, quod decuit, antiqua ſapientia venerabilem, ut ne erubeſceret illa quidem ſapientiam omnino omnem

neſcire

neſcire ſimul & contemnere. Academias videtis tam inerti torpore languidas, ſuique prorſus abſimiles, ut Athenas profecto aliquis ipſis in Athenis fruſtra eſſet quæſiturus. Pro ſtudio philoſophandi, pro libera et erecta naturæ verique inveſtigatione, quæ principatum jam ibi quendam jure ſuo obtinent, inſederant tum penitus monſtra illa, multiſque ſæculis inveterata dominabantur, error, ignorantia, et ſomnus. Jacebat ars, vitæ humanæ præſes, horrida atque inculta, & tanquam ſordidiſſimus aliquis atque illiberalis quæſtus, ad tabernas & officinas amandabatur; nec cuiquam, medicum ſe profeſſuro, aliud datum erat negotii, niſi ut fieret bene & gnaviter impudens.

QUÆ

Quæ cum ita eſſent, an fortunam Linacri miſeram ac miſerandam putem, eo quod domi non haberet unde diſceret; an felicem eum potius prædicem, cui contigit ea foris didiciſſe, quæ poſſent & ipſum patriæ, & patriam terrarum orbi commendare; cui contigit quicquid Florentia, quicquid Roma literarum aluit, (fuit autem tum temporis Italia Græcarum artium pleniſſima) in academiæ ſuæ ſinum ſecum deportare, & apud ſuos auctiora atque uberiora depromere tranſalpimæ eruditionis miracula? Si placuit novum aliquod de proprio in lucem dare, brevis fuit, emunctus, elegans, ad docendum unice intentus; ſi Græcos

ver-

vertere, * fidus ſatis, ſed nec aridus interpres; neque enim formam modo effigiemque adumbravit, ſed ſuccum ipſum ſanguinemque tranſfudit, & ſpiritu quodam ſuo inſtinctos animavit. Tam ſingulari interea modeſtia fuit, ut ſcripta ſua quæcunque non niſi timide & dubitanter, ac fere coactus prece emitteret; tam limato judicio, ut, qui aliis abunde placuit, ſoli non placeret ſibi; & quanti eſſet LINA-

* Thomam Linacrum, quo nemo majorem orationis nitorem, caſtitatem, et condecentiam ad interpretationes contulit; quarum virtutum integritatem dum diligentius tueri ſtudet, fidelem verborum affectationem, raro quidem, at aliquando tamen, omiſit.

HUETIUS *de claris interpretibus.*

CRUS, neminem niſi ipſum lateret*.

JAM vero ex vita umbratili evocatus in ſolem atque pulverem, totum ſe atque intimum excuſſit, & in communem vitæ commoditatem operam ſuam omnem & facultates ſtrenue contulit. Cum uni

---

* At tu (ſi mihi permittis ut tecum libere agam) ſine fine premis tuas omnium eruditiſſimas lucubrationes; ut periculum ſit ne pro cauto modeſtoque crudelis habearis, qui ſtudia hujus ſæculi tam lenta torqueas expectatione tuorum laborum, et tam diu fraudes deſideratiſſimo fructu tuorum voluminum. Fortaſſe terret te noſtrum exemplum; ſed etiam atque etiam vide, dum ſtudioſius vites noſtram culpam, ne in diverſam deflectas.

Epiſtola ERASMI *ad* LINACRUM.

viro,

viro, merito ſummo ſuo, duplex ſimul demandaretur provincia, ille utramque egregie ſuſtinuit, ut ne prudentiſſimum regem pæniteret unquam aut tali magiſtro filium erudiendum, aut medico curandum ſe commiſiſſe.

Sed, in hoc ſtudiorum & gloriæ curriculo, nulla res magis viro illi præſtantiſſimo in votis fuit, quam ut medicina ſuis ſe tandem ſordibus & inhumanitate exueret, & ſe quoque dignam fingeret, quæ liberalium virorum cultu & conſuetudine uteretur. In hoc conſilio exſequendo campum ſibi proſpexit latiſſime patentem, in quo poſſet liberius excurrere virtus ſua, & benevolentia ad quamplurimos perti-

nere. Vehementer illi doluit inſcitiam & audaciam, nulla lege coercitam, in vitas hominum tam impune graſſari: doluit, civium ſalutem in extremo diſcrimine verſari, quos & morbi ſimul vexarent, & remedia. Itaque arti afflictæ fidem ſuam porrexit; inopem recreavit; & e ſolitudine et tenebris, quibus adhuc obruta delituerat, in hunc ſocietatis ſplendorem, & in amiciſſimam conſiliorum ſtudiorumque conjunctionem vindicavit. Videre videor, qua ille animi benignitate apud parvulum ſenatum ſuum leges, judicia, jura deſcriberet: quo gaudio malas ſuas artes, tanquam mucrones cervicibus hominum intentatos, empiricis extorqueret: quam lætus in poſterum proſpiceret, ani-

mo

mo jam tum præſentiens, jacta a ſe fundamenta in quantum excretura eſſent ædificii, quantam ad amplitudinem perventura.

Vos autem, quos civitate ſua donari voluit LINACRUS, hæc vehementer velim in memoria habeatis impreſſa, atque etiam inſculpta penitiſſime; inter eos, qui humaniores huc literas importaverint, principem fuiſſe medicum: medicum eum fuiſſe, qui & ſinceram latini ſermonis integritatem, & quicquid eſt atticæ elegantiæ in Britanniam, agreſtem adhuc & inhumanam, tranſtulerit: medicum majores veſtros & philoſophiam docuiſſe & grammaticam; quarum altera utique ut recte ſentiamus facit, altera ut id, quod ſentimus, pure & polite

 eloqua-

mur: medicinam denique, una cum literis renatam, paribus auſpiciis, ſub eodem auctore effloruiſſe, cum iiſdem una jugiter excolendam, nec, niſi cum illis ſimul, unquam interituram.

Quod felix fauſtumque fuit huic civitati, Linacro jam ſtatione mortali defuncto non defuit ſucceſſor, ad ipſius ille exemplar egregie compoſitus, alterum ille medicinæ lumen, ſpes altera ſurgentis reip. Joannes Caius. Huic illa ſe in manum lubenter tradidit, amico, tutori, patri. Accepit ille, acceptam ſervaturus; &, in hoc graviſſimo munere explendo, omnia ſuá conſilia, dicta, facta, mentem denique omnem animumque defixit.

fixit. Fuit illi viro admirabilis natura; exquisita eruditio; in linguarum perceptione summa facilitas; magna rerum cognitio & comprehensio. Materiem idem suam variam ac multiformem quam scienter explicuit, quam copiose, ornateque illustravit! Qualis fuerit & medendi artifex, testis est gravis illa Anglis hominibus, & vix Atheniensi ipsa mitior pestilentia, cujus vi fere ineluctabili ægrotantes dieculæ spatio collabefacti conciderent, spiritumque extremum exhaurirent. Difficillimo hoc tempore, unus ille potuit & morbi proprietatem dignoscere, & excogitare remedia; usuque illud Hippocraticum confirmavit, in febribus fa-

vendum eſſe ſemper Naturæ, contra haud impune nitendum.

Quin & illud etiam præcipuis Caii laudibus adnumerandum eſſe jure video, quod Anatomiam, cui operam dederat apud Italos haud ſane inſtrenuam, Realdo Columbo familiari uſus, ſocio laborum ac contubernali Andrea Vesalio, princeps ille in hanc regionem invexerit; princeps hæc fundamenta jecerit rationalis medicinæ, & ad naturæ veritatem accommodatæ. Memorabile profecto inceptum, & veſtra & omnium prædicatione dignum maxume! Quid enim vel illi, qui medicamentis, vel illi qui manu curat, prius antiquiuſve eſſe debet,

bet, quam ut probe cognitum habeat, quibus ex principiis corpora noſtra ſint; quinam ſit partium poſitus, ordo, figura; quo fœdere, quo nexu inter ſe cohæreant, quibus commiſſuris conglutinentur; & ut exinde, quantum poteſt, quid ſit morbus, quid ſanitas, inveſtiget? Quid porro philoſopho dignius, quam hominem; quid homine, quam ſeipſum contemplari?

Talis cum hic fuerit, ſumite vos ſuperbiam, quod totus eſſet veſter; quod vobis veſtriſque rebus curas ſuas omnes nuſquam non impenderet, nec a veſtris unquam commodis disjungi ſe pateretur. Quid enim? An periclitabatur fama veſtra, langueſcebat auctoritas? Excitavit

citavit eam, erexit, in integrum restituit CAIUS. An inita sunt contra statum hujusce civitatis improborum consilia? Causam ille vestram constanter & animose peroravit; licentiam in aliena involandi refrenavit; effecitque ut ars sua non nisi artificum manibus contrectaretur.

QUONAM autem malo fato fieri dicam, ut haud unquam defuerint desintve, qui messi vestræ falcem ausi sint immittere? Unde fieri, ut indies serpat latius & propagetur consuetudo hæc prava & quasi contagio medicandi? An invidendum esse vobis videtur, eo quod doloribus miseriisque mortalium interesse vestra vos voluerit fortuna? Quicquid

quid fuerit, non inaudita certe hæc eſt querela; non novum id aucupium. Queſtus eſt jam olim, literatiſſimus vir, * Galenus, idem quod

* Εἰ γὰρ οὔτε γεωμετρίας, οὔτε ἀστρονομίας, οὔτε διαλεκτικῆς, οὔτε μουσικῆς, οὔτε ἄλλου τινος μαθήματος τῶν καλῶν οἱ μέλλοντες Ἰατροὶ γενήσεσθαι δέονται, καθάπερ ὁ γενναιότατος ἐπηγγείλατο Θέσσαλος, ἀλλ' οὐδὲ μακρᾶς ἐμπειρίας χρήζουσι, καὶ συνηθείας τῶν ἔργων τῆς τέχνης, ἕτοιμον ἤδη προσιέναι παντὶ γενησομένῳ ῥᾳδίως Ἰατρῷ. Διὰ τοῦτο καὶ Σκυτοτόμοι, καὶ Τέκτονες, καὶ Βαφεῖς, καὶ Χαλκεῖς ἐπιπηδῶσιν ἤδη τοῖς ἔργοις τῆς Ἰατρικῆς, τὰς ἀρχαίας αὑτῶν ἀπολιπόντες τέχνας. Galeni μεθόδου θεραπευτικῆς, lib. i. cap. i.

Si enim neque geometriæ, neque aſtronomiæ, neque dialectices, neque muſices, neque ullius denique bonarum diſciplinarum indigent, qui medici ſunt futuri, quemadmodum Theſſalus iſte promittit, nec etiam longam experientiam, et operum artis uſum deſiderant; cui non promptum ſit artem aggredi, ceu

quod nunc maxime querimur, brevius ad ſamam iter, quam per moras literarum, patere. At in civitate bene morata, qua legibus cautum ſit, ne quis rebus ſacris temere ſe immiſceat; ne jura, niſi juriſperitus, reſpondeat; cum dolore quodam indignandum videtur, rudes quoſlibet & indoctos vitæ neciſque civium ſponte ſua ſibi arbitrium arripere; &, ut cum † PLINIO veriſſime loquar, "animas hominum negotiari."

---

ceu facile medico futuro? Atque hinc adeo fit, ut etiam ſutores, & tinctores, et fabri, tum materiarii tum ferrarii, proprio magiſterio relicto, in medicæ artis munera inſiliant.

Ex verſione THOMÆ LINACRI.

† C. Plinii Secundi nat. hiſt. l. xxiv. c. 1.

CAIO

CAIO itaque noſtro quis eſt tantus honor, qui non debeatur? Probe intellexit ille, medicinæ, ſicut aliarum artium, procreatricem eſſe unicam philoſophiam: artis ſuæ ſtudium reconditis in diſciplinis verſari novit, & magna varietate ſcientiæ, a vulgi ſenſu remotiſſimæ: in qua, ſine literis, raro aliquem aſſequi poſſe, nunquam diu tueri conſpicuum & eminentem locum. Voluit ille medicum nullius fore ornamenti expertem, ſed in omni parte humanitatis abſolutiſſimum; nihilque apud animum carius habuit, quam ut in hoc clariſſimo domicilio ſui ſimiles nunquam deeſſent. CANTABRIGIA itaque noſtra nullo magis unquam, quam CAIO, aut alumno ſe jactat, aut fundatore,

tore. Et tempus quidem maturius quam res deficeret, ſi omnes, quotquot in illa ejus domo fundamenta ſua poſuerint medicinalis gloriæ, ſingillatim recenſeremus. Deficeret vero pietas ipſa, ſi illum virum taciti præterveheremur, cujus exſuperantia ingenii, & divina de rep. noſtra, deque univerſo genere humano merita & domum Caii, & hanc ipſam immortali nomine donaverint.

Etenim inde nobis ortus eſt Harveius: ibi ille adoleſcentiam, humanioribus Muſarum literis probe exercitam, ad altiora philoſophiæ ſtudia erexit: ibi animum acrem illum vegetumque diſcendo aluit, cogitando dilatavit, & na-

turæ contemplatione valentiſſimum ad medicinam tandem traduxit, in naturæ arcanis unice verſantem, eique excolendæ ſe totum devovit. Hic eſt ille vir, quem viderunt veſtri majores univerſam hominis fabricationem oculis ſubjicere, ordinemque & neceſſitudinem rerum, & admirandam SUPREMI OPIFICIS rationem ac mentem per omnem animalem machinam perſequi; quem audierunt grande illud de circulari ſanguinis motu effatum enuntiare, novitate rei inſigne, præſtantia et uſu æternum; opinionibuſque commentitiis, & temeritati conjecturæ naturam ipſam opponere, & certam experimentorum fidem. Et pudet & piget memorare, quot inſanientis ſapientiæ deliramenta,

liramenta, tum veritati, tum ipſis ſibi repugnantia, temere effutiverit GALENUS de hac quæſtione: quem tamen & Græci deinceps & Arabes patienter nimis ſunt mirati; quaſi profecto quicquid ille peperiſſet monſtrorum decreviſſent tollere. Proh tempora vere tenebricoſa, & inauſpicata literis; cum a ſententia magiſtri vel tranſverſum unguem diſcedere læſæ majeſtatis crimen et * dignum carcere haberetur;

---

* A. D. MD.LX.

CAIO Præſidente.

Anno ſuperiori, menſe Decembri, imperatum eſt Joanni Geynes medico, ut in quibus publice dicere ſolebat Galenum erraſſe, referente venerabili viro Thoma Wendeo, medico regio,

retur; cum homines non modo servitutem servirent, sed catenas etiam amplecterentur! Tandem autem aliquando, viam præmuni-
ente

---

regio, et ipso etiam Geyno coram universo Collegio palam affirmante, ea proferret. Quod tamen cum honestis rationibus facere recusaverit, coactus est per officiarium Vicecomitis Londinensis, jubente Præsidente, id præstare, aut in carcerem deduci, &c.——Suas autem partes cum nequibat Geynus defendere, clareque deprehendebat suam, non Galeni, culpam fuisse, honestissime sese dedidit, et errorem agnovit pænitentia ductus, se vana proposuisse; diligentius non circumspexisse; Galeni loca exquisitius non contulisse; ejus sensum non indagasse; sententiam non intellexisse; verba fideliter non citasse;—reverentia in Galenum non usum esse, et eum falso accusasse. Quod etiam confir-
mavit

ente *SERVETO illo VILLANOVANO (quem ſane ſapientem appellaſſem,

---

mavit ſubſcriptione ſua in hæc verba: "Ego "Joannes Geynes fateor Galenum in iis, "quæ propoſui contra eum, non erraſſe."

Vide Annal. Coll. Med.

* Vir literis haud mediocriter imbutus, MALCOLM FLEMYNG, in libro ſuo anglice ſcripto, cui titulus eſt *An introduction to phyſiology*, quædam citat ex libro vi. cap. xv. ANDREÆ VESALII, de corporis humani fabrica, ex quibus ſibi perſuaſum habet, VESALIUM hoc nobile inventum, principem hominum delibaſſe, palmamque aliis omnibus præripuiſſe. Argumentum, quo hoc adſtruit, hujuſmodi eſt, quod MICHAEL SERVETUS, cui ſoli cum VESALIO certamen eſſe poteſt, ſuam chriſtianiſmi reſtitutionem non, niſi decem integris annis elapſis, ediderit, poſtquam VESALII liber in publicum exiiſſet. Sed, temporum rationibus

ſem, ſi ſic omnia feciſſet) cæperunt medici, per intervalla temporum, argu-

---

rationibus rite ſubductis, liquido patebit, VESALIUM potius ex SERVETO, quam hunc ex illo, hæc omnia, de quibus ſit quæſtio, excerpſiſſe. Opus illud VESALII primo editum fuit Baſileæ, A. 1543. In hac editione (quantum ego quidem ſcio) ne verbum quidem eſt, unde liceat conjectare, ei tum temporis vel tantillum de vero ſanguinis motu ſuboluiſſe. Hoc ſaltem certiſſimum eſt, ea, quæ ab erudito medico citantur, omnino hic deeſſe omnia. SERVETUS autem opus ſuum (quod nunc paucorum manibus teritur) malis avibus emiſit A. 1552, aut 1553, & morte mulctatus eſt Genevæ, A. 1553, graviter eum accuſante CALVINO, quod contra ſanctum de Trinitate dogma auſus eſſet ſcribere. Secunda VESALII editio anno demum 1555, nec prius, in lucem prodiit; & tum primum adjecta ſunt illa, de quibus

agimus.

argumentum altius excutere, & veritatem fere e veſtigio ſubſequi:

quorum

---

agimus. Videtur itaque doctiſſimus vir in errorem hunc levem, præ inopia primarum VESALII editionum, incidiſſe.

Quonam fato evenerit, ut SERVETUS rebus ſe ſacris tam imprudenter implicuerit, haud noſtrum eſt diſquirere. Ineunte certe adoleſcentia, juris romani ſcientiam coluit; ſed eum jam tum invaſerat rerum, ad fidem ſpectantium, novandarum ſtudium. Paulo poſt LUTETIÆ PARISIORUM ad medicinam ſe adplicuit; eodemque fere tempore, & ſub eodem profeſſore, quo VESALIUS, ſcilicet GUINTERIO JOANNE ANDERNACO, anatomiam ſedulo exercuit. Profeſſor ille, in epiſtola nuncupatoria, anatomicis ſuis inſtitutionibus præmiſſa, Baſileæ, A. 1539, in quarto editis, VESALIUM SERVETUMQUE (pro more eorum temporum VILLANOVANUM ex urbe patria nominatum) ſimul laudat. Loquens enim de confectionibus adminiſtratis,

miniſtratis,

quorum quidem illa e conſpectu nec deliteſcere omnino voluit, nec tamen

---

miniſtratis, quibus ditaverat, caſtigatioremque reddiderat hanc operis ſui editionem, hæc adjicit.

" Qua in re, non admodum ſane facili, aux-
" iliarios habui, primum ANDREAM VESALI-
" UM, juvenem mehercules in anatomis dili-
" gentiſſimum, puriorisque medicinæ profeſſo-
" rem non pœnitendum. Poſt hunc MICHAEL
" VILLANOVANUS familiariter mihi in con-
" ſectionibus adhibitus fuit, vir omni literarum
" genere ornatiſſimus, in GALENI doctrina vix
" ulli ſecundus. Horum duorum, qui tum me
" GALENUM profitentem audire voluerunt,
" præſidio atque opera, tum artuum, tum alia-
" rum partium exteriorum muſculos omnes,
" venas, arterias, & nervos in ipſis corporibus
" examinavi, ſtudioſiſque oſtendi."

Hæc ea mente exſcripſi, ut pateat, SERVE-

tamen omnis conſpici: ut enim id, quod res revera erat, eloquar, haud profecto intellexiſſe videntur ii homines quantum ipſi intelligerent. Totum itaque hoc, quod certe maximum eſt, gloriæ, totum occupavit HARVEIUS, ſine ſocio, & ſine

---

VETUM, utcunque delirus fuerit, cum, ut ipſe de ſe loquitur, evangelizaret, in anatomia tamen primas tenuiſſe; nec oportere miri aliquod videri, ſi decantata illa ſanguinis per pulmonem tranſeuntis deſcriptio ex tanti viri calamo profluxerit. Si enim laudes eas, quibus utrumque diſcipulum ſuum ornavit ANDERNACUS, perpendamus, annon veri videtur ſimile, profeſſorem illum parem certe, ſi non majorem de SERVETO, quam de VESALIO ipſo, ſpem concepiſſe? Profecto vis illa animi tam vivida, tam libera & erecta, & impatiens magiſtri, niſi ad aliena ſe prave & perverſe detorſiſſet, quid non luminis literato orbi affudiſſet!

rivali:

rivali: atque etiam invidiam domuiſſe, quod paucis quidem ante mortem contigerat, ipſi contigit viventi atque ſentienti, & apud exteros pariter & ſuos. Fruſtra enim fuit adverſantibus quibuſcunque contra veritatem inſurgere tantis rationum momentis ratam atque ſtabilitam; fruſtra ſtrepere, & obtrectare, & Britanno ſcilicet homini invidere gloriam, quam nec HIPPOCRATEM præoccupaſſe, nec PLATONEM, neque ipſum, quem prædicant, ſcientiarum omnium artiumque principem HOMERUM, obſcura ſua diligentia utcunque abuſi, probatum dare potuerunt.

ATQUE hic mihi honoris cauſa excitandus obverſatur bonus ille

*ſenex, quo nuperrime orbata eſt religio & philoſophia; quem ſane ſolum cum HARVEIO & vitæ integritate, & inventorum, ad ſalutem hominum conſervandam accommodatorum, utilitate, componere auſim. Licebit enim viri laudes, de medicina optime meriti, coram medicis, in tranſcurſu delibare: licebit etiam alienum ordinibus veſtrorum principum adſcribere, qui ſane nihil unquam a ſe alienum duceret, quod veſtris rationibus inſerviret: licebit denique eum oratione complecti, qui caritate benevolentiæ ſuæ & vos & omnes homines complecteretur. Egregium eſt quid-

* Steph. Hales, S. T. P.

dam

dam ſcilicet in duobus hiſce, HARVEIO atque HALESIO, quantum inſtar eluceat, quæ quaſi cognatio & neceſſitudo virtutum; ſive ingenii indolem contemplemur, ſeu rationem ſtudiorum, ſeu ſingulares illas animi dotes, manſuetudinem, humanitatem, modeſtiam; tum demiſſam illam SUPREMI NUMINIS reverentiam, & pietatem. Eadem utrique via munita eſt, idem curſus ad gloriam. In laboribus ſuſcipiendis eadem utriuſque mens; ſimilis in experiundo patientia; par veri falſique dijudicandi acumen. Utrique pariter ſanctum fuit atque decretum, experimenta teſtes eſſe in omni re incorruptiſſimos; Naturæ arcana ipſam optime interpretari Naturam; & illud, ex

veteri

veteri porticu derivatum, & in omnem omnis ſcientiæ familiam protinus derivandum, "ſapientem nihil opinari."

Patefacto tandem hoc circumagendi ſanguinis myſterio, videtur certe medicina emerſiſſe jam e vadis, & ſcopulos eſſe prætervecta. Etenim quanto clarior dehinc facta eſt cauſarum, morbos continentium, notitia! Quanto certiora medentium conſilia! Sed quid ego autem hæc pluribus, quæ ingerit vobis atque inculcat quotidiana medendi exercitatio?

Harveio ætate proxime ſucceſſit, qui et laudem fere Harveianam conſecutus eſt, experientiſſimus

mus vir, SYDENHAMUS ; quem ut ſama artis floreret illuſtri ac pervagata, egregiis natura dotibus inſtruxit, excoluit diſciplina, uſus exercuit. Ad provinciam ille, quam nactus eſt, ornandam, mentem contulit caſtam atque ſinceram, nullis opinionibus præoccupatam, magiſtro nulli emancipatam. Conjectare & hariolari, in omni ſapientiæ parte, viro philoſopho indecorum eſſe exiſtimavit; in ea autem, quæ ad medicinam pertinet, qua civium de vita ac ſanguine agatur, etiam inhumanum. Curſum itaque fortiter auſus eſt deflectere a pervolgata medicorum via, nec alia premere, niſi Naturæ, Verulamio ſuo auctore, veſtigia. Cum rite ſibi perſuaſum haberet, veram medendi artem,

artem, non in incerta aliqua, quam vocant, theoria, ſed in diuturna & accurata morborum ipſorum obſervatione contineri unice atque conſtare, eorum ille ſpeciem indolemque, varietates ac diſcrimina, decurſum exitumque, tum ſua etiam in medendo conſilia & rationes, errores & lapſus, ſucceſſus & triumphos ſuos deſcripſit ita atque definivit, ut omnia, tanquam præſentia, oculis cernere, nec tam hiſtorias legere, quam intereſſe curationibus, & ægrotantium rebus ipſi conſulere videamur. Atque honeſto huic operi adhæreſcentem, non otium eum a labore reclinavit, non repreſſit obtrectatio, non valetudo adverſa avocavit, non ipſa ingraveſcens retardavit ſenectus;

ſed,

ſed, quod de PLATONE traditum accepimus, qui ſcribens mortuus eſt, quodque raræ eſt & invidendæ felicitatis, idem ei & vivendi contigit & philoſophandi terminus.

HIS Duumviris, medicinæ veræ inſtauratoribus, accenſere licebit medicum adprime eruditum, OXONII ſui delicias & decus, JOANNEM FREIND. Cujus quidem viri quoties inſpicere lubet in indolem, & labores, & ſtudia, annon exemplum, in illuſtri poſitum monumento, intuemur, qualem oporteat eſſe medicum, qui affectet aliquod ultra mediocre & quotidianum? Fuit illi ingenium acre & excelſum; multiplex, verſatile, varium. Tanti ſub ipſa adoleſcen-

tia,

tia, tam admirabiles ab eo in ſtudiis progreſſus facti ſunt; infinita ſcientiarum pœne omnium materies tam avide, & toto, quod aiunt, pectore devorata; ut non ille diſcere, ſed reminiſci, non excurrere videretur, ſed evolare ad omnem literaturæ excellentiam. Duram & aſperam tactu philoſophiam ſolus fere tractare potuit, nec tamen elegantiæ ſuæ valedicere; & ſimul ei & diſerto eſſe conceſſum eſt, & Muſas ſeveriores colere. Ad rem vero medicinalem illuſtrandam non tam alienis inſtitutis, quam propria naturæ vi; non tam rudimentis artium, quam uſu; non tam diſcendo, quam agendo atque experiundo, totus abreptus eſt. Neque tamen in ultimis ejus laudibus ponendum

nendum censeo, quod tam ardenti flagraverit studio ea omnia versandi atque ediscendi, quæ antiqui literis mandarunt, viri et arte et facundia insignes, quique miram in scriptis obtinent tum scribendi tum medendi salubritatem. Etenim si apud medicos alicujus pretii habeantur, quæ habentur certe maximi, in observando acumen et diligentia, in communicando fides; si honestius sit ac fructuosius scientiam ex ipsis fontibus potius haurire, quam eam in arescentes rivulos dispertitam consectari; profecto aut apud veteres est, aut nusquam est, quod quæritur. Etsi enim diffitendum neutiquam sit, plurima a veteribus prave intellecta, diem castigasse; etsi vel prædicandum sit,

plurima,

plurima, ab iis prorſus ignorata, in lucem uſuſque veſtros diem protuliſſe; ea tamen eorum merita ſunt, ut raro vir magnus quiſquam extiterit, niſi quem hæc ſtudia oblectarint, hæc ornaverit ſapientia, hi magiſtri docuerint*.

Et hujus quidem viri fatis, a curſu ſuo & incremento gloriæ tam acerba morte avulſi, graviter eſſet indolendum, niſi lenimenti aliquod attuliſſet ſuperſtitum ſplendor &

* Oportet autem neque recentiores viros in his fraudare, quæ vel repererunt, vel recte ſecuti ſunt; et tamen ea, quæ apud antiquiores aliquos poſita ſunt, auctoribus ſuis reddere.
A. C. Celsus, l. ii. c. 14.

amplitudo.

amplitudo. Quorum e numero vel præcipue evocandus esse videtur in quo tot extare video & eminere virtutes, PELLETTUS ille vester. Ecquis enim hominum illustrius unquam documentum edidit, quid posset optima indoles optimarum disciplinarum cultu expolita? Ecquis a natura & moribus magis habilis ad promerendam omnium voluntatem? Quam non obstabat illi, quo minus homo humanissimus & esset & haberetur, quod esset aliis eruditior! Fuit in vultu, in sermonibus, in universa denique vita simplex, apertus, affabilis; opum contemptor; recti tenax; & vel eo nomine præponendus aliis, quod se nemini præponeret. Neque me abstineo, ut non & felici-

tatem ejus collaudem, qui, pro vita inquieta veſtra atque exercita, dies ſuos placide leniterque in tranquillitatem tranſdederit, tam ingenio ductus ad otium, cum literis, amplexandum, quam a fortuna, ut amplecti poſſet, inſtructus.

Sed de illo ſummo viro nefas ſit prædicare, niſi comitem adjungam ſimul Plumptreum etiam ſuum, cum viventes eos tam arcta inter ſe conjunxerit & ſtudiorum & officiorum neceſſitudo. Atque hunc quidem vel ad invidiam, pœne dixerim, aliarum gentium, hæc terra eduxit, domeſtica informavit diſciplina: etenim inſtar omnium fere laudum eſſe puto, Almæ Matris vicem apud exteros ita ju-

venem

venem eum impleviſſe, ut pateret omnibus quanto illi eſſet ornamento, quantum ab illa ipſe fuerit adornatus. Meminiſtis ipſi, quam varia ille abundaret doctrina; quo ingenio floreret; quam ſplendide ampliſſimum apud vos magiſtratum gereret; ut omni ſtudio, gratia, auctoritate incumberet ad hanc tuendam remp. Nec minori ſane cura & diligentia medicinæ ipſius cultui & caſtitati proſpexit; qui pharmacopœiæ noſtræ corrigendæ tam ſedulo invigilaverit, inconditaſque medicamentorum farragines, & inexplicabiles mixturas tam prudenti delectu, tam eleganti ſimplicitate temperaverit. Idem pariter in vita conſtans veritatis non

ſucatæ cultor, & inimicus fraudis; in circulis, in congreſſionibus familiarium feſtivus, dulcis, urbanus, non, niſi apud ægros, ſe profeſſus medicum. Neque enim oportere viſum eſt ſupercilium, & rugas, & ſenectutem induere; nec diſſociabiles eſſe res judicavit jucunditatem & ſapientiam. Felicem illum ingenii, qui ſeria ſua, quaſi aliud agens & ludibundus expedire potuit; & ne ludebat quidem, ut non in eo ſimul neſcio quid egregii & excellentis eluceſceret!

Nec deerit, inter horum laudes, Jurino etiam aliquod & loci & gloriæ; quem, credo, non pœnituit,

tuit, cæteris Academiæ disciplinis satis imbutum, perfectam insuper geometriæ scientiam ex uberrimis ejus fontibus affluentius hausisse; & in rebus physicis inclarescere potuisse, vivente etiam atque regnante physicorum principe NEWTONO. Tali instructus apparatu, cum ad medicinam tractandam accessisset, spinas eas & asperitates, quibus omnis fere obstructa est sapientia, facile superavit victor; &, certiora figens vestigia, festinavit impiger ad summam in re medica præstantiam. Magna mihi est copia memorandi plurima tum doctrinæ ejus omnigenæ monumenta, tum pietatis in HANC DOMUM præclara edita indicia. Sed illa no-

ta, dicta, pervolgata ſunt omnia. Id vero, quod ego illi palmarium deputo, inſitivarum dico variolarum artificium, ejus potiſſimum experimentis confirmatum, auctoritate commendatum, iniquiſſimus eſſem, ſi præterirem. Quod ſane cum tam felici exitu fortunaverit Deus; cum, ejus ope, frequentiſſima mortis janua obſtrui fere & obſignari videatur, num dubitabimus adhuc mortales, an hoc tantum boni, quod divinitus oblatum eſt & datum, ad conſervandos homines, & amplificandam Dei gloriam certatim conferamus? Crediderim equidem nullam fore in terris regionem, artium modo & humanitatis commercio aliquo expolitam,

litam, apud quam illius artificii uſus non ſit invaliturus. At in* urbe, ubi melioribus nuper auſpiciis caput ſuum efferre altius, & paulo ſubtilius agitari cæpit medicina; at in academia, ſtudiis ingenuarum

* Vide quæſtiones ſæpius motas ſuper methodo inoculandi variolas ab Antonio de Haen, Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Conſil. Aulico, Med. Pract. in alma & antiquiſſima Univerſitate Vindobonenſi Prof. Prim. Vindobonæ MDCCLVII.

Serio autem lætamur, et hunc et alios adverſarios fruſtra reclamaſſe; factumque eſſe tandem, ut variolarum inſitio etiam in urbe Vindobona aliquatenus obtineat. Quanto melior apud nos medicinæ fortuna! Si quid novi certa experientia approbaverit, id grata manu, nec tamen novitatis nimis avidi, accipimus; nec, in iis, quæ ad uſum medendi pertinent, inhoneſtum aliquod aut erubeſcendum ducimus, doceri etiam ab indoctiſſimis.

artium florente, professorem aliquem esse, qui nobile illud inventum convellere argumentis studeat, & ex cathedra interdictum denuntiare, id sane & doleo & demiror. Næ ille, laborum, si quis alius, infelix, magno cum conatu magnas quod aiunt nugas; qui ea, quæ vos tam certa experiundo fecistis, vanis argutiarum ineptiis incerta facere contenderit; & veritati ipsi stabili atque æternæ bellum importunum temere & inconsulte indixerit.

ORATIONI jam cumulus accedat; & fas sit tandem ad tuarum laudum altitudinem & sublimitatem consurgere, consummatissime vir, RICARDE MEAD: quanquam de te nihil fere quidpiam ita dici

honorifice

honorifice poſſit, quin id virtus præcurrat tua. Defloreſcente jam RADCLIVIO noſtro, regno medico potitus es: cujus quidem hominis, dubium eſt an fortunam & felicitatem mirer magis, cui licuit in principatum medicinæ alium quemvis ſibi ſubrogare; an ſagacitatem magis & providentiam, quæ tum in illo præcipue eluxerunt, cum de te tanta & tam præclara judicia faceret, cum te gloriæ ſuæ hæredem ſcriberet. Fuit autem tibi admiribalis quædam ad medendum natura, diligentia ſingularis, obſervatio rerum & inquiſitio ad anxietatem uſque curioſa. Nemo te, in rebus ægrotantium dubiis, præſentiori unquam eſt animo uſus; nemo, per acuta morborum, aut in judi-

judicando perſpicacior, aut in agendo promptior, atque in arripienda occaſione opportunior. Fuit & facilitas rara in ſcientia percipienda; memoria perceptorum tenaciſſima. Quicquid in rem tuam medicinalem aut erudita contulerat antiquitas, aut recentiorum excogitarant ingenia, id omne tibi in inſtrumentum artis ceſſit, & ornamentum. Neque libaſti quidem hæc ſolum tanquam alienas opes, ſed ut proprias poſſediſti; & e fœcundo pectore tuo majora, collectis viribus, exierunt. Itaque univerſi protinus ad te oculos conjicere, in te ſpes reponere, ad te conſiliumque tuum, tanquam ad aliquod ÆSCULAPII adytum, tanquam ad ſalutem ipſam ſanitatemque

temque confugere. Nec modo primas facile tenuiſti in arte tua, ſed ipſam etiam illuſtraſti uberrima doctrinarum omnium varietate atque concurſu, optimis fere omnibus in ſua cujuſque laude præſtantior. Ecquod fuit unquam ad literas promovendas conſilium initum, cui tu non fautor adfueris atque adjutor? Ecquis uſquam gentium eruditus, cui tu non familiaris? Ecqua bonarum artium aut inventa aut ornata, cui tu non patronus? Ecquis denique tibi unquam inimicus, ut non literas idem & humanitatem oderit? Et decet, & dulce eſt recordari, quali ſtudio noſtram omnium tu foveres adoleſcentiam; qua nos conſuetudine dignareris, quibus hortationibus erigeres,

rigeres, præmiis ornares: amor vicissim & veneratio omnium ita æquo te passu prosequebantur, ut incertum esset utrum te magis vereremur magistrum, an amicum diligeremus. Quæ vero tua illa domus! Qualis ibi celebratio quotidiana! Quanta rerum elegantiorum, omne ævum illustrantium, ab omni undique regione comportatarum, quam lauta, quam exquisita congeries! Quæ tibi ipsi supellectilis istius tuæ literariæ quam accurata intelligentia! Quam absoluta antiquitatis omnis notitia et comprehensio! O cænæ istæ tuæ, cum symposiis veterum merito conferendæ, &, id quod de PLATONIS conviviis TIMOTHEUM dixisse ferunt, "etiam postero die jucundæ:"

cundæ:" ad quas nemo acceſſit unquam, quem ſatietas ulla ceperit; nemo enim acceſſit, quin abs te abierit doctior! Jam quantum illud eſt, quod, tot tantiſque implicatus divorſeque tractus officiis, nunquam intermiſeris literarum ſtudia! Quantum eſt te, qui in urbana hac frequentia, & in oculis civium quotidie vixeris, tot tamen ingenii tui monumenta ex domeſtica commentatione in publicum emiſiſſe; & cum tantum in agendo operæ poſueris, tantum & in ſcribendo ponere potuiſſe! Parum autem tibi fuerat tuo profuiſſe ſeculo, niſi in alterum porro proſpexiſſes, & immortalem inexplebilem illam tuam bene faciendi, bene merendi voluntatem ad poſte-

ros

ros uſque propagaſſes. Te itaque nos, poſteri tui, quo amore vel abſentem uſque proſequimur; quo ſtudio prægreſſum admiramur, tum præcipue nobis chari noſtriſque ſtudiis gratulantes, cum iiſdem veſtigiis ipſi quodammodo inſiſtere videamur, & ad aliquam tui imitationem effingere noſmet & conformare! Statuetur itaque effigies tua in judiciis, in præcordiis gentis hujus tuæ, æterna in baſi, collocata; & tum demum de te ſilebitur, cum exulabit hinc omnis & virtutis reverentia, & pii gratique animi affectio; cum denique (quod Deus omen avertat!) ipſæ literæ in hoc literarum domicilio conticeſcent.

Hi ſunt fere, auditores, Artis Nostræ Principes, quos Harveium ipſum in laudis ſuæ ſocietatem cooptaturum, quos oratoris ſui præconiis, quæcunque ea fuerint, cohoneſtatos vobis in exemplum proponi velle crediderim. Vos vero pergite inſtituto itinere, & in id ſtudium, quod urgetis, nervos omnes intendite. Quas in deceſſoribus veſtris ſuſpicere ſoletis virtutes, eaſdem propriis ipſi moribus exprimite; & quam præcurſores ii vobis facem prætulerint, poſteris deinceps tradite refocillatam atque illuſtriorem. Habete honorem literis, quocunque ſe nomine commendent, quocunque illæ lætentur ſolo. Neque enim ii vos eſtis, qui doctrinam & ſcientiam non, niſi

in

in certa ſede & ſtatione, maturitatem ſuam conſequi poſſe, nec qui ingenia ſolis Athenienſium muris claudi exiſtimetis. Interea tamen neutiquam obliviſcemini, unde potiſſimum tot vobis orti fuerint WILLISII, LOWERI, SYDENHAMI, RADCLIVII; quo ex fonte HARVEIUS ille profluxerit ad immortalitatem; eamque honoris prærogativam ACADEMIIS NOSTRIS deferetis, quam pietas vos veſtra admonet; quam ſtudiorum inſtituendorum ratio, diſciplinæ ſeveritas, morum ſanctitas exigunt atque efflagitant. VOS DIVÆ SALUTIS ſacerdotes conſtituti eſtis, atque æditui; vobis ſe ſuamque hanc ædem in tutelam commendat; veſtram omnium fidem implorat.

plorat. Curate illam diligenter, & ſervate liberali cuſtodia. Viris probis, doctis, atque eductis libere hæ pateant ſemper fores: Quod ſi famam artis & veſtram ſalvam uſque velitis præſtare, cavendum certe eſt & providendum ſedulo, ne, qua fraude, illiterati ſordidique irrepant unquam, & in ſalutem hominum impetus neſarios faciant, ſua ſimul malitia armati, veſtra ſimul auctoritate præſidioque muniti.

Atque equidem cum ſurgentem ſeculi gloriam contemplor; & ſpes, in quas ſuccreſcimus, animo mecum reputo, nihil non fauſtum & auſpicatum, ut et aliis omnibus, ita vobis rebuſque veſtris polliceri atque confirmare auſim. Inter cæteras artes, quæ regium ſibi haud

fruſtra ſpondent patrocinium, bonæ certe literæ non evileſcent; nec, cum proſperitati gentis hujus feliciſſimæ bene conſultum fuerit & proviſum legibus, exemplo, auctoritate, valetudo, ſalus, vita civium parum penſi habebitur. Faxit D. O. M. ut rata ſint iſta ómnia, quæ tam cupide expectamus, tam certo omine auguramur! Quod faciet certe abunde, & ad ſummam uſque votorum, ſi Juvenem Illum Eximium, a quo pendemus, quem ſuſpicimus, quem miramur omnes, qui ſuis omnibus jam nunc in amore eſt & deliciis, tueatur præſens ſoſpitetque; & ad illum virtutis, ad quem anhelat, apicem, & conſiliorum, quæ populo ſuo univerſo ſaluberrima meditatur, maturitatem exitumque incolumem perducat.

COMMENTARIUS

DE

JOANNE CAIO,

ANATOMIÆ CONDITORE

APUD NOSTRATES.

CUM anatomia nuperis annis, in hac noſtra civitate, tanta ceperit, hodieque capiat incrementa; idque tum præcipue diligentia & acumine viri de re medica optime meriti, Gulielmi Hunter, tum etiam aliorum, qui hanc artem docuerunt, & etiamnum docent; factum eſt, ut Londinum inter florentiſſima anatomiæ gymnaſia merito recenſeatur. Cultoribus itaque ejus rem me non injucundam facturum ſpero, ſi particulam medicinalis hiſtoriæ, ſcriptoribus fere intactam, illuſtrare adgrediar; ſi ex quibus illa initiis in tantum abſolutionis excreverit, diſquiram; & quæ, in oratione, de Joanne Caio dixerim, argumentis, ipſi-

us auctoritate ut plurimum nitentibus, confirmem.

Caius itaque postquam Cantabrigiæ decem circiter annos studiis dederat, & in humanioribus literis, & istorum temporum philosophia egregios fecerat progressus, a. 1538 aut 1539 profectus est in Italiam. In ea regione, ubicunque erant aut bibliothecæ, aut eruditorum hominum frequentia, hospitem se diligentem ac curiosum præstitit; illustrissimi Principis Cosmi Medices favore usus est; & optimis medicinæ præceptoribus, quicunque aut Florentiæ, aut Pisæ, aut Patavii floruerunt, se erudiendum tradidit. Medicinæ doctor renuntiatus est Patavii, & in eadem academia sophisticæ etiam professor constitutus cum Realdo Columbo collega. * Compendium aliquod hujus suæ historiæ in ephemeridibus extraneis propria ipsius ma-

* Compendium] Vide bibliothecæ britannico-hibernicæ, auctore viro admodum reverendo Thoma Tannero, p. 145.

nu annotaviſſe dicitur, in hæc verba: "Giovanne Caio fu nato & educato in "Norvico—de' Parenti Roberto Caio & "Aloicia Woda nell' anno MDX, meſe "octobr. 6.—venne prima a Cantabria "12. ſept. MDXXIX—creato A. B. "MDXXXII—A. M. MDXXXV.— "collega in Coll. Gonvill. MDXXXIII. "6. dec.—lection. publ. dialect. in Pa- "doa MDXLI.—Doct. in Med. in Pa- "doa MDXLI—Parte da Cantabr. verſo "Italia MDXXXIX.—ritorno verſo "Inghilterra MDXLIV." Hæc fere conveniunt cum eorum temporum monumentis, quæ Cantabrigiæ jam nunc ſuperſunt. Superſunt autem, inter archiva Coll. Gonvilli & Caii, literæ teſtimoniaales (quas quidem literas peregre eum proficiſcentem obtinuiſſe crediderim) de gradibus ab illo Cantabrigiæ ſuſceptis, una cum commendatione doctrinæ ejus & morum, Jan. 31. 1538. Et *ipſe etiam de

* Ipſe de ſe] Vide Joannis Caii Britanni de libris ſuis librum unum, edit. Londini a. 1570. in 12mo.

ſe ſcribit, ſe, ab anno 1537, ſedulo fuiſſe occupatum commentariis quibuſdam in opera ſummi amici ſui ac concivis Gulielmi Framminghami componendis; &, his demum abſolutis, in Italiam migraſſe. Superſunt inſuper, inter eadem archiva, literæ teſtimoniales ab academia Patavina de gradu doctoris in medicina ab eo ſuſcepti, Maii 13. 1541; quibus in literis nominatur Caius "In noſtra uni-"verſitate græce profeſſor publicus." In Antonii Riccoboni commentariis gymnaſii Patavini (Patavii in quarto edit. a. 1598) memorantur Joannes Gauius Britannus, & Realdus Columbus Cremonenſis expoſitores dialecticæ a. 1540. In Tomaſini gymnaſio Patavino (in quarto, 1654, Patavii) profeſſores ſophiſticæ eodem anno Joannes Gavius Britannus, & Realdus Columbus Cremonenſis; "quo-"rum ille tractatu de libris propriis in-"genii fœcunditatem oſtendit; hic raris "obſervationibus humani corporis hiſto-"riam illuſtravit." Teſtatur etiam ipſe

Caius

Caius ſe " * Ariſtotelicam diſciplinam " prælexiſſe, græce, publico ſalario il-" luſtrium Venetorum, concurrente Re-" aldo Columbo Cremonenſe in ſcholis " publ. Patavii."

Cum itaque Caius noſter in publico hoc munere obeundo Columbum ſibi collegam adjunctum haberet, facile eſt judicare eos aliquo inter ſe amicitiæ fœdere conjunctos fuiſſe; quos tanta laborum ſimilitudo colligaverat. Columbus autem hoc ipſo tempore in anatomia laudem haud vulgarem adeptus eſt, ipſo etiam teſte Veſalio. Ille enim, de ligamento, quod os hyoeides cum oſſe temporum connectit, verba faciens (in prima editione operis ſui l. i. c. 15.) hæc adjicit: " Quod etiam non ſemel animad-" vertit mihi admodum familiaris Renal-" dus Columbus, nunc ſophiſtices apud

* Ariſtotelicam] Vide Jo. Caii Britanni de ephemera Britannica Lovan. 1556, in 12mo p. 181.—et de libris ſuis p. 15.

" Patavinos professor, anatomiæ studio- " sissimus." Observatu quidem dignum est, hæc, de Columbo tam honorifice dicta, in secunda libri sui editione omnino omisisse Vesalium; &, in examine suo * observationum Fallopii, in aliam prorsus de hoc viro sententiam devium abiisse. Sed & hæc Vesalii, inimici jam facti, & graviora illa Joannis Baptistæ †Carcani opprobria facile refellenda sunt tum ex iis supra allegatis, tum e ‡ Nicolai Comneni Papadopoli historia gym-

* Observationum] Ibi adfirmare nullus dubitat Columbum citra literas, & cujusquam commentarios, anatomiam apud ipsum didicisse. Vide Jac. Douglas bibliographiæ anatomicæ specim. L. Bat. 1734, 8vo. p. 114.

† Carcani] Asserit enim ille Columbum, si quid boni & veri dixerit, id omne a Vesalio fuisse suffuratum; eum primo pharmacopolium exercuisse, literarum & græcarum & latinarum expertem, & librum ejus, quem auctor vernacula lingua compilaverat, ab aliquo Pedagogo fuisse translatum. Vide Jo. Bap. Carcani lib. anat. in 12mo. Ticini 1574 edit. l. 2. p. 15.

‡ N. Comneni Papadopoli] 2 vol. fol. Ven. 1726, vol. i. p. 318.

nafii Patavini, qui hæc teftatur: "Mat-
"thæus Realdus Columbus Cremonen-
"fis bello Cameracenfi abductus a patria
"bonas artes, & philofophiam perdidicit
"Mediolani."

Vesalium quod attinet, ejus quidem fama & magna in re anatomica peritia & diligentia extra omnem dubitationis aleam longe pofitæ funt: atque eo * familiariffime ufum fuiffe Caium abunde liquet, quippe qui cum illo ftudia fua anatomica contulerit, & in eadem communique domo Patavii ad octo menfes victitarit, quo tempore libros ille fuos de fabrica humani corporis fcribebat et depingebat.

In hoc ftudiorum fuorum decurfu tum omnia Galeni fcripta mirum in modum adamavit Caius, tum præcipue opera ejus

* Familiariffime] Vide Jo. Caii annotat. in libros aliquot Galeni, edit. Bafil. in quarto, 1544, p. 286. Vide etiam de lib. fuis p. 6.

ana-

anatomica diligenti manu verſavit. Itaque commentaria ſua in Galenum ſcribenti, ea, quæ ipſe ex autopſia, quod aiunt, didicerat, admodum utilia fuerunt; adeo ut nonnulla, ipſius etiam Veſalii, præcipue de conſtructione * ginglymi, in melius poſſet refingere. "Admonuimus," †inquit, "lectorem quorundam Galeni "locorum, quos Veſalius corruperat. "Addidimus & veram effigiem ginglymi "ad Galeni ſenſum, quem Veſalius ante "expreſſit, in prima editione libri ſui "p. 14., longe aliena & plane diſſimili." Et Veſalium quidem ipſum cum lectore pariter admonitum eſſe crediderim, cum in ſecunda ejus editione alia ſit prorſus ginglymi deſcriptio, alia omnino figura, & ad mentem ipſam Caii delineata. Præcipuus autem huic noſtro ſtudii ſui anatomici fructus fuit, & quo maxime lætatus eſt, quod exinde Galeno ſuo haud

* Ginglymi] Vide annotat. p. 287.

† Inquit] De lib. ſuis p. 11.

raro

raro patrocinari potuerit, quibuſdam in illo obſcuris lucem dare, & quæ ſecum * pugnare viſa ſunt in concordiam & convenientiam vindicare. † Galenum enim, ut ipſe profitetur, ita ambabus ulnis amplexus eſt, & propemodum adoravit, " Virum," uti ait, " quantum nec " orbis a morte ejus habuit, nec in medi- " cina in futurum habiturus eſt," ut, licet Veſalium vehementer interdum laudaret, de eo ipſo tamen (ſi rite capio quæ habet de libris ſuis p. 10. &c.) non ſine indignatione quadam atque faſtidio ſcripſerit, quod de numero muſculorum abdominalium a Galeno diſſenſerit. Anatomia porro illi uſque eo in deliciis fuit, & tam acre ejus excolendæ & in publicos uſus divulgandæ ſtudium, ut quaſdam corporis partes penicillo deſcribendas ipſe curaturus eſſet, niſi id laudis præoccupaſſent alii. Hoc ſcriptum re-

---

* Pugnare] Ut in annotat. p. 326, ubi de corde in medio thorace poſito loquens, adjicit, " Id quod ipſi " non ſemel menſi ſumus."

† Galenum] De lib. ſuis p. 1[illegible]

liquit in annot. p. 287, ubi, de tendinibus agens, qui digitis flectendis inſerviunt, hæc habet: "rem, ut homini liberali "cognitu dignam, & ad miraculum uſ"que ſuſpiciendam, penicillo deſcriben"dam curaſſem, niſi quod jam Andreæ "Veſalii Bruxellenſis, & Joannis Bap"tiſtæ Canani Ferrarienſis, doctorum "certe & experientum anatomicorum, "de hoc argumento libri jam extent; "in quibus ita graphice depicta hæc alia"que pulcherrime exhibent, ut nihil "amplius deſiderari poſſit. Haud diſſi"mili conſilio rerum figuras etiam aliis "in locis omiſimus."

Atque hæc quidem huc uſque deducenda ea mente exiſtimavi, ut conſtaret omnia omnino Caio adfuiſſe adjumenta, unde, in patriam redux, anatomiam, tum temporis jacentem atque incultam, humo poſſet tollere, & medicinam anglicam novo lumine illuſtrare. Redibat ille, ſi ipſi fides ſit, a. 1544. "Caſtiga"tis enim," inquit, "novem illis, qui "ſuperſunt, Galeni libris anatomicis,

" paratiſque in eos commentariis, in An-
" gliam revertens, obiter excudendos cu-
" ravi Baſileæ apud Hiero. Frob. & Nicol.
" Epiſcop. A.D. *1544." Eorum itaque egregie ſciens, quæ Græci literarum monumentis mandarant, ab optimis magiſtris inſtitutus, & in cadaveribus ſecandis diu ipſe multumque exercitatus, forſitan etiam cum Veſalio ipſo in hoc laudis ſtadio certandi cupidus, Londinum haud citius fere reverſus eſt, quam artis ſuæ documenta illuſtria edidit, & prælectionibus anatomicis coram chirurgis operam ſtrenuam & diligentem impendit. Tanta quidem de eo fama percrebuerat, ut, vel ipſo † rege hortante atque auſpicante, id muneris ſuſceperit. Neque regiam ſane expectationem, nec aliorum, de ſe conceptam, ulla ex parte fefellit: cujus

* 1544.] De lib. ſuis p. 7.

† Rege]—Thomæ Maroni correximus; quod hic anatomes ſtudioſus, & naturæ admirator perpetuus, ad annos pœne viginti ſemper interfuit noſtris diſſectionibus anatomicis, quas Londini obivimus voto Illuſtriſſ. Principis Henrici Angliæ Regis, ejus nominis octavi: nam apud medicos per ea tempora nullæ erant. De lib. ſuis p. 18.

rei

rei uberrimum teſtem adhibeo librum, cui titulus, *Dialogues between two Men, one called Sorenes, and the other Chirurgi, by William Bulleine, M. D. London,* 1579, *in folio, p.* 4. "*Whereas through* "*the learned lectures, and the ſecrete* "*anothomies, by and through the learned* "*Doctor M. John Kaius, reveiling unto* "*this Fraternity, (viz. the Company of* "*Barbers and Chirurgeons in London)* "*the hidden jewels and precious treaſures* "*of Cl. Galenus, ſhewing himſelf to be a* " 2 *Linacer, whoſe ſteps he followeth*—." Quod vero præcipue ejus viri laudibus eſt apponendum, in hoc utili admodum labore exequendo per viginti fere annos indefeſſus perſtitit, nec operæ eum ſuæ pœnituit, poſtquam ad ſummum medicinalis famæ apicem perveniſſet; cum jam & in aula ‡ regia, & in collegio medicorum

‡ Conſtat eum diu docuiſſe anatomiam, poſtquam Edvardi Sexti medicus ordinarius fuerat; poſtquam collegii medicorum præſes fuerat; & poſtquam largas opes accumulaſſet: nam collegium ſuum fundavit a. 1557; & veri ſimile eſt eum munus ſuum & præſidendi apud medicos, & prælegendi apud chirurgos eodem fere

medicorum facile princeps eſſet; & rem ſuam familiarem amplis divitiis adauxiſſet.

Et hæ quidem prælectiones, ſapienti conſilio inſtitutæ, chirurgos Londinenſes ex fœdiſſima ſuperſtitione, & fere omnium rerum ignorantia, ad artem ſubtilius colendam excitarunt. Hiſce prælectionibus acceptos referimus primos illos ſcriptores anglicos, & quidem ſolos, qui, ante Harveium, rem anatomicam tractarunt, ſcilicet Vicary, Hall, & Baniſter. In his etiam celeberrimi ii ſuorum temporum viri, Hall, Gale, Bulleine, Clowes, & Baniſter fundamenta ſua diſciplinæ chirurgicæ poſuerunt. Hoc munus docendi anatomiam apud chirurgos conſtitutum fuit brevi temporis ſpatio poſtquam ii in ſocietatem coiviſſent. Coiverunt autem chirurgi in † ſocietatem

---

fere tempore dimiſiſſe, ſcilicet a. 1565, cum collegii ſui ædificationem inchoabat.

* Societatem] Vide Merrett's collection of acts of parliament, charters, &c. relating to the colledge of phyſicians, in quarto, 1660, p. 18.

a. 1540;

a. 1540; & a. 32. Henrici Octavi, iis, Regis & Senatus auctoritate, quatuor nocentium cadavera singulis annis concessa sunt. Concessa quidem esse fateor; sed, quia vel locus ad secandum idoneus, vel qui secarent idonei deessent, putredinem, opinor, suam integra consecuta sunt. Nullam certe ante Caium rem anatomicam exercentium mentionem invenio. Hanc autem materiei aptæ copiam, chirurgis lege concessam, in causa fuisse, cur apud chirurgos potius, quam medicos prælegerit Caius, veri simillimum videtur.

Neque vero est, quod quis dubitet, alium quam Caium fuisse, qui, in collegio medicorum Londinensi prælectiones anatomicæ ut instituerentur, curaverit. Hoc quidem non solum ex eo suspicari licet, quod ille anatomiam plurimum amaverit, & sibi habuerit persuasum, artem illam medicis fore adprime ‡ uti-

‡ Utilem] Vide de lib. suis p. 8, & dedicationem Henrico Octavo libris aliquot Galeni præmissam.

lem;

lem; ſed etiam ex eo conjecturam hanc haud dubitanter licet facere, quod & præſes collegii medicorum, & medicus reginæ fuerit eo ipſo anno (ſcilicet 1564) cum quatuor nocentium cadavera quotannis publice ſecare collegio conceſſum fuerit. Annon etiam ſuſpicari fas eſt, ſequentia, quæ in reginæ * literis patentibus invenio, Caii fuiſſe ipſius dictata? "Quod quidem pium inſtitutum "dni patris nri (ſcilicet collegium medicorum) quandoquidem in Reipublice commoditatem ceſſit manifeſtam, "& in majorem indies ceſſurum veriſimile ſit, ſi nos, quod rem medicam "profitentibus maxime neceſſarium eſt, "conceſſerimus predictis, &c. in perpetuum quotannis quædam humana "corpora ad anatomizandum ut informamur—,"

Hoc Caii exemplo factum eſt, ut,

---

* Literis] Vide Queen Elizabeth's charter for anatomies, in Merrett's collection, p. 34.

per plurimos annos, prælectiones anatomicæ a medico aliquo, ad id munus constituto, apud chirurgos haberentur. Laudabilis ſane conſuetudo, & quæ medicinæ, tam quæ medicamentis, quam quæ manu curat, uberrimos fructus attulit! Nunquam autem intermiſſa fuit illa conſuetudo, uſque ad id temporis, cum chirurgi ſe a barbi-tonſoribus ſeparaverint.

In annalibus collegii medicorum nullam video prælectionum fieri mentionem ante a. 1569. Tum vero tali modo de iis ſcriptum eſt, qui mihi ſatis fidem facere videatur, eas ordine tum aliquantiſper proceſſiſſe. Scriptum eſt enim, ad diem 13^m. Jan. 1569, " Eodem die placuit collegio D. Lopus admoneatur, ut proxime ordine humanum corpus ſecet publice, ita poſtulantibus ſecandi vicibus. Quod ſi recuſaſſet, præſenti pecunia numeraret lib. iv."

Ex hoc tempore anatomia in collegio medicorum ſedulo agitata eſt; prælector ſingulis

ſingulis annis conſtitutus; &, ſi quis hoc ſibi demandatum munus detrectaret, mulcta irrogabatur. Quinetiam latæ fuerunt leges, per quas ſociis interdictum eſt, ne a prælectionibus abeſſent. Ex hoc inſtituto tum medicina plurimum adjumenti cepit, tum etiam plurimum gloriæ Britannia. Etenim, quod inſtar omnium eſt, Harveius (ut ipſe teſtatur) in † "prælectionibus ſuis anatomicis, novam ſuam de motu & uſu cordis, & circuitu ſanguinis ſententiam aperuit, poſtea multis ocularibus demonſtrationibus, rationibuſque & argumentis illuſtratam."

Ex præmiſſis igitur, uti opinor, haud dubie conſtat, Joannem Caium tum apud chirurgos, tum etiam medicos anglos ana-

† Prælectionibus] Vide dedicationem præſidi & ſociis collegii, præmiſſam exercitationibus anatomicis de motu cordis & ſanguinis in animalibus, GULIELMI HARVEI ANGLI, medici regii & profeſſoris anatomiæ in coll. med. Lond. Francof. 1628, in 4to.

tomiæ fuiſſe conditorem. Supereſt etiam, in ipſo Caii collegio apud Cantabrigienſes, tabula quædam picta, ejus imaginem referens, unde quæ diximus ulterius confirmari poſſunt. Huic tabulæ, inter alia, ab eo præclare facta, hæc laus tanquam præcellens atque ei palmaria, inſcripta eſt.

Ann. Ætat. 53.

QUI LVCE̊ DEDIT ET SOLATIA MAGNA CHIRVRGIS.
VT SCIRENT PARTES ANOTOMIA TVAS.

A. D. 1563.

F I N I S.

TAB.



